














NICOLAI JOSEPHI JACQUIN  
COLLECTANEA  
AD  
BOTANICAM, CHEMIAM,  
ET  
HISTORIAM NATURALEM,  
SPECTANTIA,  
CUM FIGURISS.  
VOL. IV.



---

VINDOBONÆ,  
Ex OFFICINA WAPPLERIANA, 1790.





# I.

FRANCISCI THAVSKY

Primi locumtenentis (Oberleutenant) artis fusoriæ in Re tormentaria  
Cæsareo - regia,

## DE METALLIS E TERRIS OBTINENDIS.

In laboratorio viri celeberrimi a Ruprecht, consiliarii regio - cæsarei & professoris Chemiæ Schemnitziæ in Hungaria, clarissimus Medicinæ Doctor Neapolitanus Mathæus Tondi, occasionem nactus explorandi oxyda quædam, partim parum huc usque cognita metallica, partim ceu talia tantummodo credita, tam feliciter eorumdem reductionem instituit, ut metallum inde obtinuerit.

Amplissima utilitas, quam ex præclaro hoc invento Tondiano in Metallurgiæ emolumentum sperare licebat, tum etiam propria in hisce re-

bus sciendi cupiditas, summum in me excitabant desiderium, Tondiana experimenta imitandi, saepius repetendi, tandemque intelligendi, quo usque labores metallurgici exinde perfici possent.

Eo ipso tempore Viennam ex Hungaria advenit clarissimus Tondi, apud nos per aliquot hebdomas moratus; precibusque meis pro illa, quæ est humanitate & benevolentia, commotus omnia ordine experimenta, quæ Schemnitzii instituerat, coram me aliisque in laboratorio Cæsareo tormentario repetiit, apparatumque omnem & procedendi normam, tanti saepe in experimentis ponderis, ingenue & amicissime mecum comunicavit.

Ab illo tempore suscepi reductionem non tantum carbonatis calcarei, magnesiæ, & barytici, sed etiam ad eandem methodum carbonatem aluminosum purissimum reducere tentavi. Ubique obtinui metalla.

Dum ita experimenta multiplicabam, idemque saepius metallum edutum videbam, cum ex illis, quæ legebam in libello dicto *Taschenbuch für Scheidekunstler und Apotheker auf das Jahr 1791. S. 161. — 176.*, tum ex operationum apparatu & norma, quam maxime autem ex metallorum obtentorum per viam humidam examine, dubius esse cœpi, & sentire aliter quam huc usque cum clarissimo Tondi aliisque plurimis eruditis fenseram.

Dum in hisce solam sector veritatem, cogitabam, nihil hic me aptius facere posse, quam si collecta experimenta mea publico submitterem judicio, peteremque a dignissimo præceptore meo, suis ut propterea Collegetaneis infereret. Nec credit, qui hæc leget, sc̄ argumenta reperturum quæ omne dubium tollant; sola enim experimenta enarravi, quibus paucas obser-

observationes sequelasque adjeci. Scopus igitur est, ut erudiar ipse; &, ubi opus, corrigar; ut vel sic etiam pro viribus meis in ampliationem chemiae patriæ aliquid contribuissé videar.

## I.

## METALLUM TUNSTICUM.

Acidum seu oxydum tunsticum parabatur ex tunstate calcareo, sic dicti Stanni spatosi albi Schlackenwaldensis, non quidem ad ullam a beato Scheele propositam normam (vide Crell's neue chemische Entdeck, vol. 10. pag. 209. — 216. & Fourcroy elemens de l'histoire naturelle & de chimie vol. 2. pag. 445. — 448.) sed methodo sequente. Digerebatur hæc minera, subtilissimum in pulverem redacta, in acido nitro - muriatico, facto ex partibus pondere æqualibus acidi nitrici, gravitatis specificæ = 1289 & acidi muriatici gravitatis = 1103, in calore ebullitionis tam diu, donec nullum in minera vestigium martiale superstes detegi poterat. Residuum non solutum, aqua destillata calida ab omni adhærente acido nitro - muriatico liberatum edulcatumque, sistebat acidum tunsticum, coloris aurantiaci, & omnis ferri expers. Prior methodus Scheelianæ suminopere prolixa est. Altera methodo per vitrificationem, mediante sive carbonate potassæ, sive sodæ, non potest illud acidum tam purum, tamque ab omni ferro liberatum obtineri, cuiusmodi obtinetur ad normam expositam. Pulvis ex aqua ablutionis solam per quietem sponte præcipitatur, qui coloris sulphurei erat, quia nedum oxygenio sufficienter est saturatus, repetita autem digestione in acido nitro - muriatico omnes dotes acquirit sedimenti prioris aurantiaci.

Oxydum illud tunstici aurantiacum cum subtilissimo carbonum pulvere oleoque lini teritur in pastam, quæ disponitur in crucibulo hassiaco proportionatæ magnitudinis sequenti modo. Primo una facies plana dicti crucibuli interior ad tres quartas partes totius suæ altitudinis obducitur crusta memoratae pastæ; tum angulus tigilli, priori planæ faciei oppositus, eadem pasta impletur. Tota reliqua tigilli cavitas ad altitudinem usque crustæ utriusque adhærentis prædictæ impletur carbonum pulvere, qui tegitur strato ex calcinatis beneque elixatis ossibus aut ex cupellis in pulverem redactis.

Injectio & ordinatio harumce rerum non est arbitraria, sed nititur experimentorum huc usque institutorum felici eventu. Plures factæ in hac ordinatione mutationes nullatenus respondebant exspectationi meæ, unde cogebat servare priorem.

Laboratorium, quo utor pro hisce experimentis, vulgaris est focus fabri ferrarii, in quo ex lateribus ipsiensibus constructus furnus dimidiatus tab. 2. fig. 1. Latitudo furni A B est pedis unius & sex pollicum; latitudo C D decem pollicum. Puncta A B D circulo, cuius radius D E = 9 pollicibus, includuntur; altitudo autem octodecim pollicum.

Quod ad follem attinet, hic una cum tubo longus est septem pedes & quatuor pollices. Tubus æquat pedem unum & sex pollices; ejus orificium diametrum habet unius pollicis & linearum trium. Follis pars anterior lata est pedem unum & pollices quatuor, alta pedem unum. Posterior lata est tres pedes & pollices novem, & expansa alta pedes quinque.

Crucibulum pedicello sustentatum locatur in foci punto, in quo maxime follis agere potest, sic cum parietibus internis furni ope laterum ipsius interpositorum connexum, ut ignis undique pastæ applicari libere possit. Tunc furnus impletur carbonibus ex ligno duro & frustulatim nucis juglandis volumine diffractis, partim carentibus, partim commixtis extintis. Mox follis in actionem dicitur.

Principio follis oneratur pondero 25 librarum. Hic gradus ignis sustinetur per dimidiam horam, dum continuo novis carbonibus madefactis diminutio priorum resarcitur, & per brevia intervalla carbones furni aqua insperguntur, ut hujus decompositione ignis intendatur. Post elapsam hanc dimidiā horam pondus follium libris 50 augetur, & post quadrantem horæ aliis quinquaginta libris, ut ignis gradus evadat intensissimus, qui adhucdum per dimidiā continuatur; ut tota operatio duret quinque horæ quadrantes.

Metallicum obtentum, si bene fluxit, coloris est rubrobadii; fractura, cuius nitor metallicus magis flavescit, est squamosula, & videtur ex minimis constare squamulis micantibus; in lapide lydio relinquit lineam profunde cinereum, fere nitoris metallici expertem. Porro est fragile, datque pulverem obscure plumbeo - cinereum, qui a magnete non attrahitur.

Gravitas specifica hujus metalli non poterat a me ob parvitatem substantiarum metallicarum exacte determinari; inventa autem fuit à clarissimo Haidinger, consiliario & Professore Schemnitziensi, ad aquam destillatam in temperatura decem graduum thermometri Reaumuriani esse = 6, 823. (Born. catalogue method. & raisonn. vol. 2. pag. 226.) Singularis est

est tantilla specifica gravitas hujus metalli, comparata cum illa = 17,600. ejusdem metalli, quod viri celeberrimi D'Elhuyar ex spuma lupi obtinuisse se, asserunt. (*Don Juan Joseph und Don Fausto d'Elhuyar chemische Zergliederung des Wolframs, und Untersuchung eines neuen darin befindlichen Metalls; a. d. Engl. des Hrn. Karl Cullen übersetzt von F. A. C. Gren; nebst Beyträgen zur Geschichte des Wolfrans und Tungsteins. Halle 1786. pag. 100.*)

Tunstatis calcarei grana 277, gravitatis specificæ 6,195 exhibent grana 199 oxydi tunstici aurantiaci, & grana 10 ejusdem oxydi minus oxygenati coloris sulphurei.

Consiliarius & Professor Schemnitziensis, celeberrimus a Ruprecht & clarissimus Tondi, jam experimenta quædam super hoc metallo instituerunt, obsevaruntque sequentia. 1) Tunsticum, vehementi igni expositum, nullam mutationem subire, & in cupella duntaxat relinquere maculam nigrā. 2) In igne fusionis cum vitrificata boratis soda per quadrantem horæ mansisse immutatum, & fundi lentissime, dum vitrum sanguinei colore tingebat. 3) Concentratum & bulliens acidum nitricum nullam exercuisse in hoc metallum actionem. 4) Nec magis acidum nitro-muriaticum, licet in pulverem suisset comminutum (anne etiam non calore adjutum?) Actionem acidi sulphurei & muriatici illo tempore nedum exploraverant. 5) Sulphur sublimatum injectum tunstico candenti solam hujus superficiem adoriri, quæ nigrescebat, videbaturque oxydari, & maculam in cupella relinquere nigrā.

Utut optabam avidissime, memorata experimenta repetere, & si fieri posset, ampliare, nihilominus, pro tempore satisfacere desiderio nequeo;

de-

destitutus necessaria, cum hujus, tum subsequi metalli, copia. Spe tamen fruor, fore, ut brevi, amicorum benevolentia adjuto, voto potiri abundanter liceat.

Nec fugerat jam acutissimi ingenii virum, immortalem Bergmannum, oxydum Tunstici esse substantiam singularem metallicam. Experimentis suffultus, rationes proponit, quibus inducebatur, ut crederet, posse oxydum hoc, privatione oxygenii, in metallum reduci. Non poterat vir magnus has rationes effectu veras reddere, aliis occupationibus impeditus.

Extra omne dubium quidem positum est, celeberrimos d'Elhuyar in patria sua tantam obtinuisse spumæ lupi copiam, ut potuerint reductionem parati oxydi perficere; attamen metallum inde obtentum tum quoad gravitatem specificam, tum quoad actionem acidi nitrici & nitro-muriatici, insigniter differt a nostro illo Tunstico. Observabant interea, acidum spumæ lupi differre quibusdam proprietatibus ab illo acido, quod ex Tunstate calcareo obtinetur. (*Grens Ubersetzung der chymischen Zergliederung des Wolframs &c. pag. 97.*) anne hæc tantilla differentia oxydorum tantam diversitatem in reductis inde metallis efficere posset?

Clar. Raspe in Cornubia (*Crelles chem. Annal. 1785. N. IV. pag. 548.*) videtur in ea versari opinione, metallicam substantiam Tunstici & spumæ lupi esse ejusdem naturæ. Ex notitia posteriore autem (*ibid. 1785. N. X. pag. 340. & N. XII. pag. 519.*), tum etiam ex experimentis Clar. Klaproth. (*ibid. 1786. N. XII. pag. 502. — 507. & Neue chem. Entdeck. N. XIII. pag. 213.*) patet, Cl. Raspe ad parandum acidum Tunstici minime usum fuisse Tunstate calcareo (minera stanni spatosa alba) sed acidum suum Tun-

stici obtinuisse ex spuma lupi. Dicit porro Cl. Raspe, reductum ex acido Tunstico metallum cum metallo Clar. d'Elhuyar esse unum idemque, ubi tamen ipse nec de specifica gravitate, nec de reliquis proprietatibus hujusce substantiae metallicae mentionem ullam facit. Discrimen ingens gravitatis specificae, tum aliarum quarundam proprietatum, quibus differt Tunsticum Ruprechtianum a d'Elhuyariano, me movet, ut in posterum etiam eadem jam enarrata methodo tractem oxydum spumae lupi, quo dubium solvi possit.

Celeberrimus Ruprecht alio quidem apparatu (*Crells Annal. 1790. 6. Stück pag. 483. — 487.*) etiam cum additis ossium cineribus aut cupellis pulverisatis, acidum Tunsticum in metallum reduxit; sed non adnotatum lego, anne specifica gravitas metalli Tunstici, apparatu Ruprechtiano obtenti, eadem fuerit cum illa obtenti apparatu Tondiano, nec ne? Tum etiam quo apparatu factum fuerit Tunstici metallum illud, quod eruendae gravitati specificae inserviit.

## II.

## METALLUM MOLYBDICUM.

Ad parandum oxydum seu acidum hujus metalli sulphuretum Molybdeni sive Molybdenam sulphuratam Schlackenwaldensem ex Bohemia adhibui. Posteaquam sulphuretum Molybdeni ab adhaerente matrice silicea exakte erat purgata, terebatur per octodecim horas in mortario vitro cum debita quantitate sulfatis potassae cum modica & repetita aquae irroratione. Miscela haec tam diu aqua destillata bulliente edulcabatur, donec ultima ablutionis aqua omnis expers salini saporis rediret. Pulvis niger sedimenti

in-

instar residuum tamdiu in acido nitrico, cuius gravitas specifica erat = 1,289, repetito digerebatur, donec evasisset albissimus. Hac operatione acidum nitricum decomponitur; nam gas azoticum, unitum cum paucis oxygenio cetero gas nitrosum avolat, tum oxygenium, tanquam altera pars constitutiva acidi nitrici partim cum admisto sulphure, partim cum molybdina se unit, primumque acidum in sulphuricum, alterum vero in purum ferrique expers acidum molybdicum transformat; nam si revera in hoc corpore ferrum casu adest, uti quidem adesse plerumque solet, tunc in hac operatione ob magnam adhibitae aquae copiam in oxydum vertitur, sicque aptum redditur, quo ab acido sulphurico, durante operatione enato, solvi possit.

Hoc album oxydum molybdicum per ablutionem cum plurima destillata aqua ab adhaerente acido nitrico & sulphurico liberatur, dein exsiccandum.

Hanc parandi oxydi molybdici methodum præferri Bergmannianæ Hjelmianæque methodis oportere, sponte patet. Nam Bergmanniana methodo non tantum oxydi jaictura notabilis locum habet, sed etiam obtinatum crystallisatum oxydum semper heterogeneis partibus, a quibus flavedo oxydi pendet, inquinatur. Altera methodo quidem tanta oxydi deperditio non obtinet, at etiam non est ab omni ferro, sulphure, & acido sulphurico immune, ut docet iterum aperte flavus oxydi color (*Crell's chem. Annal.* 1790. *St. 1.* pag. 39 — 45).

Prorsus eadem ratione tractabatur dictum oxydum molybdicum, uti oxydum Tunstici tractatum supra enarravi. Tota operatio omnesque circumstantiae coinciderunt.

Metallum, quod bene fluxerat, in superficie erat coloris obscure chalybeo - cinerei; in fractura ejusdem paulo dilutioris; compagis granulatæ. Non est durum, sed potius molle; in lapide lydio lineam relinquit saturate cinereum, fere sine nitore metallico. Est porro fragile, nec a magnete vel pulverisatum attrahitur.

Cel. Haidinger specificam gravitatem hujus metalli exploravit, & in calore decem graduum Therm. Reaum. eam invenit ad aquam destillatam = 6,963.

In superficie unius ex hisce metallis observavi parvas aliquot foveolas, in quibus metallum concreverat forma crystallorum acicularium; quarum numerum laterum tamen & figuram reliquam ob minutiem suam perspicere non poteram.

Clar. a Veltheim (*Crells neue Entdeck.* vol. 2. pag. 283.) primus omnium suspicabatur molybdenam continere propriam semimetallicam substantiam; quæ quidem conjectura extra omne ponebatur dubium, cum Scheelianæ (*ibid. vol. 6. pag. 176. — 188.*) tum bergmanniana (*ibid. vol. 9. pag. 256.*) experientia. Bergmannus merito ex singulari sapore acidi molybdici aut oxydi, ex ejus solida nec deliquescente natura, & tandem ex specifica ejusdem gravitate concludebat in præsentiam substantiæ metallicæ. Ejusdem viri admonitione Clar. Hjelm tentabat reductionem hujus oxydi, ex quo metallum obtinuisse fertur, diversissimum ab omnibus aliis eo usque cognitis metallis; sed nec de reductionis suæ methodo, nec de reliquis novi hujus metalli proprietatibus, quidquam in lucem emisit.

Ex

E TERRIS OBTINENDIS.

Ex posterioribus scriptis (*Crells chem. Annal.* 1790. St. 1. pag. 39 — 45. & St. 2. pag. 140 — 150.) novimus, quantopere Cl. Hjelmi hujus oxydi reductionem perficere annitebatur, ne infelici quidem plurimorum experimentorum eventu absterritus. Infatigabili suæ activitati sociabat artificiosissimos apparatus, qui cuilibet chemico spem optimam fortunati successus facere potuissent; at vero vel sic laboris pretium valde modicum tulit; nam semper obtinebat minima metalli granula, quæ per massam sparsa examinare non poterat.

Clar. viri Ilsemann (*Crells Annal.* 1787. St. 5. pag. 407. — 414.) & Heyer (*ibid.* 1787. St. 7. pag. 21. — 44. & St. 8. pag. 124. — 139.) non minus in reductione hujus substantiæ metallicæ operam posuerunt, sed non eodem cum successu. Interea tamen, dum suo scopo non satisfaciebant, alia detegebant gravia omniq[ue] chemico scitu digna momenta.

Singulare methodo & ignis gradu debito tandem Clar. Ruprecht & Tondi hoc oxydum metallicum reduxerunt, ut hos maneat inventi honor. In Metalli vero hujus naturam hucusque nedum indagatum fuit. Quare etiam hanc semimetallicam substantiam examinabo, simul atque mineræ copia sufficiente ero potitus.

## III.

## METALLUM CARBONATIS CALCAREI.

Excitatus fausto eventu Tunstici & Molybdici cogitabat Cl. Tondi de applicandis principiis rationibusque, quæ in systemate antiphlogistico Celeberrimus Lavoisier dederat super reductione metallorum, terris simplificibus; ut videret, utrum posset innixam hac theoria conjecturam, quam Clar. Lavoisier in Tractatu suo elementari vol. I. pag. 174. paucis dumtaxat tangit, ducere in effectum.

Dum Viennæ ante paucas hebdomadas morabatur, experimenta sua hic repetiit, & ex carbonate calcareo, magnesiæ & barytico metallum eduxit.

Ad hæc paranda præcipitabat Cl. Tondi, tum in primo, tum in sequentibus suis experimentis, carbonatem calcareum, ut purus acquiretur, ex aqua calcis, gas pulmonalis ope. Hunc ad eandem normam cum oleo lini & pulvere carbonum in pastam formatum tractabat in tigillo hassiaico, tecto pulvere ex ossibus bene calcinatis & edulcatis parato, ad arcendum aëris accessum. Observando simul omnes supra commemoratas circumstantias processum hunc solo cum hocce instituebat discrimine, quod in reductione ista carbonatis calcarei intensior administratus fuerit ignis gradus per femialteram horam.

Metallum obtentum colore & nitore proxime accedebat ad platinum. In fractura erat chalybeo - virens; compagis subtilissime granulatae. In lapide

pide lydio reliquit lineam ex albo griseam, lineæ platini similem. Polituram admittebat elegantem. Summopere est fragile; nec a magnete attrahitur, nisi prius instrumentis orichalcicis in pulverem redactum sit.

Cl. Tondi salutavit metallum hoc nomine Parthenii.

Gravitatem ejus specificam coram Cl. Haidinger exploratam, inveni in calore 12 graduum Ther. Reaum. comparando illam cum aqua destillata = 6,571.

100 Grana carbonatis calcarei, per duas horas ignita, exhibuere 57 grana calcarei puri.

100 Grana carbonatis calcarei suppeditarunt maximam partem grana 4  $\frac{1}{2}$  metalli.

a. Metallum hoc obtentum non solvit ab acido nitrico = 1,289, muriatico = 1,103, sulphurico = 1,822, nec a nitro - muriatico ex æquilibus istorum acidorum portionibus parato in calore 13 graduum Therm. Reaum.

b. Acidum nitricum illud solvit in calore cum effervescentia, vi tamen adeo lenta, ut spatio octo horarum vix dimidium grani invenias solutum. A carbonate potassium colore albo & ab eadem ammoniaca rubescente flavo præcipitatur.

*v.* Acidum muriaticum & nitricum easdem exercebant in illud vires; ejusdem etiam coloris erant sedimenta.

*d.* Ab acido sulphurico, aqua diluto, perfecte solvitur. Solutio in decursu operationis ameno ludit colore rubino, brevi in luridum degenerante luteum. Hæc in quiete relicta, copiosum ad fundum depositum sedimentum album. An sulfas calcareus? Ita mihi non videtur, quoniam, ut novimus, sulfas calcareus ex suo menstruo concentrato forma crystallorum subtilissimorum acicularium præceps ruit; quæ crystalli autem in processu hoc desiderabantur. Accedit, quod nec illud per carbonatem potassæ obtentum sedimentum album indolem calcarei monstraverit, utpote in acido nitrico non solvendum.

*e.* Ab acido nitro - muriatico, adjuto etiam calore, lentissime solvitur. Solutionis calidæ color aurantiacus est, frigidæ vero & ad quietem repositæ in aureum transit. Cutim macula pingit bruno - flavescente. Aqua diluta metallum non dejicit.

*f.* Acidum sulphuricum gaudet attractione eleætiva proxima cum hoc metallo; solutionem decomponens, divellendo ambo acida cum effervescencia & evolutione calorici multi. Præcipitata ex isto & nitro - muriatico acido per carbonatem potassæ facta, coincidunt cum illis ex solutionibus in acido nitrico & muriatico.

*g.* Plura istius metalli granula per quindecim horæ minuta in fornice docimastica detenta, nil prorsus de pondere  $4 \frac{1}{2}$  granorum perdidere. Confluxerant partim, in eorum superficie oxydationem passa.

*h.*

*h.* Granulum unum metalli purum fluit in carbone candente ad tubum conferruminatorium.

*i.* Plura illius granula concrescunt cum boratis vitro in unam massam, coloris profunde badii, fere nigri.

*k.* Argentum, aurum atque cuprum e suis menstruis, adjuvante simul calore moderato, citissime turbantur facie metallica; plumbum vero in acido nitrico solutum paulo tardius forma oxydi.

*l.* Cum nitro tantillum detonat, quantumvis illud in potassam transmutet, coloris lutei.

*m.* Ab infuso gallarum solutiones atro tinguntur colore.

*n.* Sedimentum per carbonatem potassæ obtentum album, mixtumque vitro boratis, dat ante tubum conferruminatorium, vitrum opacum hyacinthinum.

#### IV.

#### METALLUM CARBONATIS MAGNESIÆ.

Ex sulfate magnesiæ præcipitatus fuit, carbonatis potassæ ope, carbonas magnesiæ, qui consueto more, observando singula, ut ante, examinabatur.

C

Me-

Metallum obtentum compactum & in superficie convexum coloris erat dilute cinerei, proxime accendentis ad illum granorum platini martialis; in fractura chalybeo - cinerei tantillum variegati; compagis granulatae. Lapidem lydium linea pingit albo - cinerea. Est fragile; magneti non obediens, pulverisatum autem fere totum attractile.

A Cl. Tondi nomen tulit Austrum.

Gravitatem illius specificam non determinavi; estimatur tamen = 7,380. (*Born Catalogne raisonné & methodique T. II. pag. 492.*)

Grana 100 Carbonatis magnesiæ per duas horas excandefacta exhibere grana 46 magnesiæ puræ. Metallum ex aliis 100 granis carbonatis magnesiæ acquisitum æquabat ad summum grana tria.

a. Metallum hoc solvitur in omnibus acidis lentissime, adjutum licet calore.

b. Illius solutio in acido sulphurico facta in crystallos non concrevit. Carbonas potassæ dejicit sedimentum album. An carbonatem magnesiæ? Sed non solvitur frigide in acido nitrico; hinc non videtur esse carbonas magnesiæ.

c. Aurum, argentum & cuprum lentissime præcipitat e suis menstruis forma metallica; nitratem plumbi vero forma oxydi.

d.

d. Cum nitro parum detonat; quod remanet, potassa est, coloris pallide flavi.

## V.

## METALLUM CARBONATIS BARYTICI.

Ex sulfato barytico Tyrolensi albo parabatur nitratis baryticus. Hic posteaquam multa aqua destillata frigida purgatus erat ab omni inquinamento nitratis calcarei & martialis, solvebatur in aqua calida destillata, unde ope carbonatis potassæ præcipitabatur baryticus carbonas.

Elixatus purusque carbonas baryticus tractabatur cum lini oleo & carbonum pulvere methodo priore.

Metallum in hoc processu acquisitum coloris erat dilute cinerei; in fractura æquabilis nitoris metallici. Compages granulata esse videbatur. Summe fragile a magnete non attrahitur, pulverisatum autem quam optime.

Borbonium compellatur a Cl. Tondi.

Gravitatatem ejus specificam non examinavi; determinata tamen = 6,744. (*Born l. c. T. II. pag. 489.*)

100 Grana carbonatis barytici spatio duarum horarum in igne vexata largiebantur 98 grana barytici puri. Totidem carbonatis barytici grana dedere ad summum grana 4 metalli.

a. Metallum acquisitum solvi in acido nitrico, scopo obtinendi nitratem baryticum crystallorum forma. Solutio, nonnisi in calore activa, lentissime procedit. Crystallorum obtinui nihil.

b. Solutioni a) instillavi acidum sulphuricum. Inde in principio nil turbatum est, ast paulo post praeceps ruit sedimentum album.

c. Sedimentum ex solutione a) per carbonatem potassae obtentum, albi erat coloris, dum alterum per potassam ammoniacam acquisitum pallide rubescet. Illud autem sedimentum exp. b) non fuisse sulfatem baryticum, concludebam exinde, quod principali sua proprietate, videlicet solubilitate caruit. Novimus enim, praesentiam acidi sulphurici, in liquore quocumque contenti, hujus solutionis sulfatis barytici ope detegi posse per quam secure. In isto vero experimento sedimentum hoc nonnisi elapsa sat longo temporis intervallo petiit fundum. Adde, quod etiam illud per potassam obtentum præcipitatum non fuerit solubile in acido nitrico.

d. Aurum, argentum, & cuprum dejecit e suis menstruis tardissime forma metallica, nitratem plumbi autem oxydi forma.

## VI.

## METALLUM CARBONATIS ALUMINOSI.

Carbonas aluminosus præcipitabatur ex sulfate aluminoso per carbonatem potassæ, methodo jam sæpius laudata examinatus.

Facies externa metalli obtenti colore ludit chalybeo - cinereo, nicolai cupro simili, hic illic rufescente. In fractura erat chalybeo - grisei; compagis granulatæ. Lapidem lydium linea inficit albo - grisea. Magneti, nonnisi in pulverem redactum, obsequium parit.

Specifica istius metalli gravitas coram Cl. Haidinger a me examinata, atque cum illa aquæ destillatæ in calore 12 graduum Therm. Reaum. comparata, inventa est = 6,184.

100 Grana carbonatis aluminosi per duas horas ignita præbent 62 grana aluminae puræ.

100 Grana carbonatis aluminosi dedere metalli grana 7.

a. Hoc metallum solutum est in acido sulphurico, ad obtainendum sulfatemet aluminosum crystallisatum. Solutio tardissima, licet accedat calor. Sal obtentus parcissimus examinari haud poterat.

b. A carbonate potassæ colore albo dejicitur; rubente vero a potassa ammoniaca. Sedimentum album non videbatur constare alumina, utpote in acido nitrico non solvendum.

c. Aurum, argentum atque cuprum in suis menstruis soluta forma metallica præcipitat; ipsum vero nitratem plumbi oxydi forma.

d. Sedimentum per potassam obtentum concrescit cum borate in vitrum opacum, hyacinthinum.

Si jam quatuor illa cum terris simplicibus instituta experimenta, inter se comparemus, verisimile primo quidem intuitu esse videtur, obtinere nos, per decompositionem via humida factam, omnes iterum illas terras, saltem quoad habitum externum, quibus ad acquirendum unum aliudve metallum usi eramus. Ast comparatione instituta inter præcipitatas substancialias & terras simplices vel oxyda metallica; examinando porro singula, quæ in decursu processuum obtingunt, paulo attenuiori animo, non pauca prosector elucescent phænomena, quæ nobis terrarum reductionem incertam declarant; quæque potius docent, originem metallorum e terris simplicibus obtentorum ab aliis derivari posse circumstantiis. Primum punctum jam tetigi, ubi de singulis hisce substancialiis metallicis egi; alterum vero prolixius pertractandum est, quum mihi saltem extra omnem dubitationis aleam positum videatur, metalla hac via obtenta originem suam e longe aliis repetere substancialiis, quam e terris hic in usum tractis.

1. Examinando in genere faciem externam singulorum metallorum in nostris experimentis productorum, sive nitorem metallicum species, sive colorem, vel compagem partium, notabile vix deprehendes discrimen.

2. Quædam metalla magnete tentata, haud ullam in illum exercent vim; dum e contra illa ipsissima in pulverem comminuta ab illo manifeste attrahuntur. Sunt porro alia attractilia, quorum autem frustula majora, applicando etiam magnetem ad fracturam immediate, illi non obediunt, pulverisata vero plus minusve perfecte obsequiosa sunt.

3. Nullum obtinebis metallum, quando terræ examinandæ, in fundo crucibuli hærenti, accessus aëris denegatur, ope carbonis magni superincubentis, & huic tunc pulvis cupellarum insternitur; nec magis obtinebis metallum, si idem experimentum eadem ratione instituatur una cum internis tigilli lateribus carbonum pulvere obductis; tandem etiam nec in isto casu ullum enascitur metallum, quando massa in tigillo quodam parvo ita disponitur, ut illius faciem planam duntaxat unam occupet, tigillum hoc tunc carbone integro impletur, imponiturque alii majori tigillo, interstitiis inter utriusque tigilli parietes carbonum pulvere farcitis, superficie interna totius apparatus tali etiam pulvere & dein strato pulveris cupellarum tecta; & nunc intensiori, quam solito, ignis gradu vel per septem horæ quadrantes massa urgetur. In omnibus his casibus terræ in crucibulo contentæ nullam patiebantur alterationem; pulvis cupellarum evanuit; ipsæ vero scoriæ granulis micabant martilibus.

4. Color rufus in crucibulo observandus, non tantum sub ista terrarum simplicium reductione in metallum, verum etiam in processu reductionis oxydi platini tum locum habet, quando crucibulum extimum fluit, dum intimum intactum immutatumque persistit. Non raro etiam accidit, ut in eodem loco, ubi crucibuli scoriæ rufescunt, etiam partes martiales eodem gaudeant colore rufo. Hisce rationibus ductus, hunc colorem pro signo specifico reducti metalli non habeo. Fundendo & reducendo platinum, cupellarum pulvere opus non est.

5. Methodum consuetam fecutus nunquam gaudebam fortunato illo eventu, ut substantiam terream in ipso crucibili fundo invenirem in regulum metallicum collectum conversam. Granula duntaxat metallica, quæ & colore suo & virtute magneti resistente attentionem quidem excitabant, deprehendi dispersa per scorias ipsamque tigilli massam vitrificatam; fluxerant enim semper tigilla. Tunc tantum crucibuli fundum occupabant, quando istius facies folli obversa & fluxa in oppositum inclinabat angulum.

6. Applicando minorem ignis gradum, vel trahendo in usum crucibulum crassius, massa terrea plane non reducitur. Illa duntaxat portio, quæ lateribus tigilli proxime adjacet, splendet tum nitore argenteo metallico, me judice, ab oleo lini repetendo, quoniam idem metallicus splendor etiam in illis vitreis vasis appareat, e quibus idem oleum destillatur. Quare in operationibus meis ita ordinavi situm tigilli, ut saltem ad duas tertias altitudinis partes flabile maneret in igne; sicque etiam deprehendi carbones in tigillo immutatos. Si igitur jam in casu isto quidam reductionis modus locum habuisset, certe metallum heic enatum in fundo tigilli confluere potuisset facile; quod autem successit nunquam. Miror itaque, affe-

afferere nonnullos, rejicienda esse experimenta omnia, ubi crucibulum ad dimidium usque vitrificatum, pulvisque cupellarum non immutatus in conspectum prodeunt. Si vero videmus, & crucibulum & pulverem cupellarum in igne nullam mutationem subiisse, certo pronunciare licebit, ipsam quoque massam terream in crucibulo contentam non minus immutatam permansisse; quod etiam in gradu minori ignis administrati locum habebit semper, ipsumque processum inanem reddet.

7. Quantitatem cuiuslibet in metallum reducendæ terræ ponderavi in quovis experimento summa cum accuratione; metalla autem inde obtenta a magnete non attractilia portione tam parva, tamque diverso habitu prodibant in conspectum, ut eorundem quantitatem sinceram æstimare potuerim nunquam. Unde suspicio mihi oborta est, substantias has metallicas originem suam casui debere.

8. In omnibus fere operationibus massa examinanda in vitrum transmutata est; indole prorsus eadem cum illa, quæ ex immediato connubio terrarum inter se exsurgit.

9. Ponamus, metalla e terris simplicibus obtineri, tunc sponte gravis exsurgit quæstio: anne ipse frui liceat, e qualibet terrarum specie, v. g. ex oxido metallico carbonatis calcarei &c. specificum etiam metallum obtentum iri? Ego contrarium suspicor. Nam examinando materiem tigilla hafsiaca constituentem, invenimus terras ferrumque. Hinc etiamsi omnis nostra solertia eo tendat, ut terras in metallum transmutandas quantum possibile obtaineamus purissimas, tigilli substantiam quam maxime in considerationem trahere deberemus, quod autem neglectum fuit. Si itaque, uti supposuimus, terræ sim-

plices substantias largiuntur metallicas, hæ eadem terræ, utpote eodem ignis gradu reducendæ fere omnes, eadem etiam metalla in statu suo mixto præbere deberent; positis cæteris circumstantiis æqualibus. Ast objici posset: terram tigilli plus accepisse oxygenii in operatione antecedente, sicque difficilius reduci posse. Ad hoc autem respondeo, etiam in hoc casu omnes illas circumstantias, quæ in processu terrarum simplicium obtinent, etiam hic adesse debere; videlicet principia illa, quibuscum oxygenium majorem attractionem electivam possidet quam cum terris simplicibus, tanquam oxydis metallicis; tum etiam ignis gradum, qui immediate in substantiam tigilli intensiori vi ageret, quam in terras simplices ibidem contentas. Et quamvis reductio partium extimarum tigilli nulla ratione succederet, hæc eo certius in internis tigilli partibus, quibus cum massa terrea in metallum transmutanda in contactu est, locum haberet. Tandem offendunt ipsæ hæ terræ in tigillo moleculas martiales, quæ in isto caloris gradu reduci, & cum terris illis, secundum hypothesim in metallum transmutandis, unionem inire possent. Ex omnibus his patet, in tali caloris gradu terras tigilli reduci, easdemque cum terris simplicibus reducendis & hic in contactu cum tigillo positis unionem inire; indeque produci substantias metallicas plus minusve mixtas, nunquam autem specificum ex quavis terræ specie metallum expectari posse.

10. Hæc in medium prolata quæstio multiplicibus ansam dedit experimentis, jam ordine enarrandis.

a. 100 Grana tigilli hassiaci in tenuissimum pulverem redacti, oleoque lini & carbonum pulvere in pastam formati, immittebam in crucibulum hassiacum, quam strato ex pulvere cupellarum tegebam ad arcendum aërem.

Ignis

Ignis gradus omnesque cæteræ circumstantiæ coinciderunt cum operationibus superius adductis. Finito processu inveni attonitus granulum majus imo plura minora metalli, similis illi, quod in experimento cum calcareo deprehendi, non attractile, gravitatis specificæ = 6,818. Examinando, in multis experimentis cum platino institutis, massam illam metallicam, quæ tigillo extimo in igne fluenti adhærebat, paulo attentius, nihil metallici præter ferrum attractile inveni, quoniam in hoc processu tegitur crucibulum solis carbonibus. Unde igitur traxit originem suam substantia ista metallica non attractilis? Crucibuli productum non est, quoniam, ut dixi, nullum præter ferrum largitur metallum. Ex cupellarum pulvere igitur enatum fuisse, sequitur. Hac de re ut convincerer, sequentia feci experimenta.

b. 100 Grana pulveris subtilissimi cupellarum, cum oleo lini & carbonibus pulverisatis in pastam redacti, tractavi in tigillo pulvere cupellarum tecto methodo ut ante. Grana 4 metalli acquisivi, similis, quod faciem externam spectat, metallo e calcareo & magnesia reducto; a magnete non trahebatur.

c. 100 Grana pulveris ejusdem cupellarum uti ad b) explorabantur, hoc solo cum discrimine, ut, ad inhibendum aëris accessum, pulveris cupellarum loco, silica omnis ferri expers traheretur in ultum, subtilissime pulverisata. Metallum obtentum habitum monstrabat metalli carbonatis magnesiæ. Istius grana duo solvi in acido sulphurico aqua diluto in calore. Solutio absolvebatur 72 horis. Refrigerata dejicit in quiete sedimentum album, indolis phosphoreti ferri.

*d.* 100 Grana pulveris cupellarum, uti ad *c*) dictum est, cum pulvere tenuissimo ex tigillis hassiacis parato examinata, exhibuere grana 5 substantiae metallicae, partim a magnete attractilis, partim illius vim eludentis. Interna crucibuli superficies minimis metalli granulis micabat.

Ex istis enarratis periculis abunde intellexi, substantias metallicas in casu praesenti originem suam trahere ex cupellis in pulverem redactis. Sequentes ergo processus sine cupellarum pulvere institui.

*e.* 100 Grana carbonatis calcarei, cum oleo lini & carbonibus pulverisatis in pastam redacti, tentavi methodo consueta, ita tamen, ut ad arcendum aereum tenuissimo pulvere silicæ ferro destitutæ texerim crucibulum. Administrato eodem ignis gradu, finitoque processu nec vestigium metalli deprehendi; materies concrevit in vitrum.

*f.* 100 Grana carbonatis calcarei methodo *e*) pulvereque ex tigillis hassiacis parato tenuissimo tecta nil plane metallici largiebantur. Tota massa in vitrum mutata est profunde badium.

*g.* Totidem grana carbonatis aluminosi iisdem sub circumstantiis *f*) tractata, nullum dedere metallum. Massa erat vitrificata.

Patet igitur jam sponte, terras simplices hac methodo tentatas tum solum quidquam producere metallici, quando videlicet arcendo aeri accessum pulvere utimur cupellarum. Eventus, qui in alio experimento, ubi ad eundem finem assequendum aliud in usum trahitur principium terrestre, frustra disideratur.

12. En! quæstiones paucis tangendæ. 1) Quales substantias metallicas producere potest pulvis cupellarum, habitu respectu ad cognitam ossium analysim? 2) An principium metallicum jam qua tale in cupellarum pulvere existit, vel an solum illius partes constitutivæ, cum aliis heterogeneis primo combinatæ, hocce producunt metallum? 3) Valetne substantia illa metallica in ratione quantitatis pulveris cupellarum adhibitæ ejusmodi formare corpora, quæ gravitate sua massam carbonaceam pertranare possunt, sicque confluere in fundo tigilli? 4) An nulla alia substantia terrea, quam solo cupellarum pulvere aëris accessus arcendus est? & si ab isto duntaxat faustus dependet reductionis eventus, annon eodem cum fundamento dici potest, ipsum pulverem cupellarum in se fovere principium substantiarum metallicarum? Novimus, ossa animalium, peracta eorundem destillatione sicca, calcinatione atque edulcatione, constare ex ferro, carbonate calcareo & acido proprio sive phosphorico, quorum duo priora cum acido isto in salem medium, phosphas calcarei & ferri dictum, coadunata sunt. Quum autem calcinatio in igne aperto peragatur, hinc non potest decompositio acidi phosphorici locum habere. Hoc enim in ratione, qua oxygenium majore affinitate aggreditur carbonium, valet denuo illud ipsum oxygenium attrahere ex aëre ambiente atmosphärico; manet ergo hic acidum phosphoricum in eodem statu, quo id ex ossibus elicetur, non alteratum; ut igitur ossa duntaxat phosphates foveant. Si vero carbonium cum justa præcautione ad arcendum aërem cum pulvere cupellarum in contactum venerit, absorbet tunc carbonium oxygenium vel ex uno, vel ex utroque principio constitutivo phosphatis ferri, unde illud a Cl. Bergmanno nuncupatum, & ab illo pro semimetallo habitum, Siderum (Phosphoretum ferri) exsurget. Interim tamen dubii semper hæremus, an hic solum acidum phosphoricum decomponatur, anne vero iste phosphorus residuus unionem

ineat cum ferro vel oxygenato, vel metallico. Cl. Pelletier parabat substantiam hanc via sicca (*Annales de Chemie* T. I. pag. 104.) Eadem circumstantiae obtinent etiam in reductionis negotio terrarum simplicium, sunt enim terrae haec undiquaque in contactu cum carbonio, atque defensae contra aeris communis nondum decompositi accessum notabili carbonum copia; ut sic eadem substantia metallica heic loci commode produci possit. Nec amplectior sententiam illorum, qui dicunt, phosphorum ex decompositione phosphitis calcarei enatum, cadendo per carbones in tigillo contentos, offendere in suo decursu moleculas ferreas, has aggredi, secumque unire, siveque producere metallum. Fabri aurarii optimum hac super re nobis suppeditant argumentum. Solent illi stratum ex pulvere cupellarum ponere inter cineritum ejusque pedimentum, & tunc totus apparatus circumdatur undiquaque carbonibus. Finita operatione totus dicti strati margo obsitus est similibus granulis metallicis magnitudinis capitum aciculae ad piffellum usque.

Centum grana pulveris cupellarum exhibent in ratione media grana 4 metalli (vide Exper. B. C. D. Nr. 10.) & ad arcendum aerem requiruntur ad minimum 1800 grana ejusdem pulveris, quae largiri deberent 72 grana metalli. Si igitur jam una tertia vel una quarta totius massae pars unionem iniret cum particulis heterogeneis, metallum ex hac combinatione enatum, tantum acquireret ponderis absoluti, ut facile, dum infimum carbonum stratum pertransit, in fundo crucibuli confluere valeret.

Clarissimus Tondi ait, se didicisse ex suis experimentis, solum pulverem cupellarum aptum esse ad defendenda vasa adversus aeris accessum, quoniam haec terrae species praे omnibus cæteris, gauderet proprietate dan-

id

di exitum variis in principio operationis evolutis fluidis aëriformibus & quæ in decursu operationis jamjam semifluxa, apta evaderet ad impediendum ulteriorem aëris accessum, omnes reliquas terrarum species tanquam plus minusve insufficientes ad obtinendum hunc finem pronuncians. At si in pulvere cupellarum faustus reductionis eventus positus est, fateor tunc, me dubium hærere circa reductionis negotium terrarum simplicium.

Tandem etiam Cl. Tondi prætenderat, reduxisse se in metallum & acidum boracicum & alcalia nitratis potassæ atque muriatis sodæ. Verum quum experimenta sæpius reiterata absque interventu pulveris cupellarum exspectationi suæ neutiquam fecissent satis, ipse Cl. vir suspicabatur, metalla obtenta, postquam crucibulum pro parte jam fluxerat, originem suam agnoscere in pulvere cupellarum; ut igitur ipsem reductionem potassæ & acidi boracici in dubium vocaret.

Comparemus jam porro quasdam proprietates phosphoreti ferri cum illis metallorum in experimentis nostris obtentorum recensitis, visuri, quid ponderis habeat reductio terrarum simplicium in metalla.

*Phosphoretum ferri.*

i. Metallum hoc caloris est chalybeo - cinerei; cobalto non durius; summe fragile; compagis granulatæ; in frustula divisum a magnete non attractile, pulverisatum vero illi ob-

fe-

*Metalla quator terrarum simplicium.*

Comparando metalla hæc invicem perparum in colore superficie, nitore, fractura, duritie & fragilitate observabis discriminis. Compagis omnia sunt granulatæ; in fru-

stu-

sequiosum; gravitatis specificæ fere  
= 6,700.

stulis a magnete non attractilia, in  
pulverem vero redacta attractilia  
omnia. Vix etiam differunt respectu  
habito ad gravitatem specificam me-  
talla carbonatis calcarei barytici &  
aluminosi inter se, considerando præ-  
sertim illud Nr. 10. exper. a obten-  
tum metallum. Solum metallum car-  
bonatis magnesiæ hac in re a cæteris  
memoratis metallis abscedit, cuius  
discriminis causa esse potest major  
vel minor in hoc metallo ferri con-  
tentí quantitas, quod phosphoretum  
ferri non constituit.

2. Fusibilitate gaudet fere ea-  
dem cum cupro. In calore volatile  
non est, via sicca sponte fluit in car-  
bone ligneo, vitrum non raro tingens  
colore badio.

3. In omnibus acidis difficulter  
solvitur, caloris auxilium exposcens.

Hæc jam dicta sunt in descrip-  
tione metalli carbonatis calcarei suo  
loco. Vide III. Experimenta g. h. i.

Vide III. Exper. b. c. d. e. f.  
IV. — a.  
V. — a.  
VI. — a.

4. In acido sulphurico aqua diluto solutum, & quieti per aliquot horas traditum, deponit sedimentum album.

5. A carbonate potassæ albo de-  
jicitur colore.

6. Aurum argentum & cuprum tardissime e suis menstruis præcipitat forma sua metallica; plumbum vero nitrosum forma oxydi.

III. Exper. d.

V. — b.

III. — b. c. e. f.

IV. — b.

V. — c.

VI. — b.

III. — k.

IV. — c.

V. — d.

VI. — c.

Combinationes phosphori cum terris simplicibus, quales illas nunc habemus, nostris quidem diebus cognitæ nondum sunt, prout etiam illas sifere impossibile videtur secundum experimenta a Cl. Gengembre instituta. Verum ut objectioni, quæ forte in medium adferri posset, nimirum substantias metallicas obtentas non consistere in combinatione sola phosphori cum ferro in pulvere cupellarum contento, sed potius ex surgere ex calcareo ejusdem pulveris cupellarum forma metallica reducto & unito cum phosphoro (Phosphoreto calcareo), antevertam, sequens institui experimentum.

1. Accepi 21 grana acidi phosphori methodo Scheeliana vitri forma obtenti, totidem etiam grana calcarei acido carbonico privati, & gra-

na 4 carbonum in pulverem reductorum. Substantias has oleo lini in pastam redactas, fundoque crucibuli hassiaci impositas, texi pulvere carbonum ad altitudinem unius quartae partis pollicis; cavitatem tigilli carbone integro implens exactissime. His factis tigillum parvum in aliud immisi majus, quod tandem, farcitis inter bina hæc tigilla interstitiis cæterisque loculamentis omnibus, intensissimo ignis gradui folle animato per quinque horæ quadrantes exponebatur.

Finita operatione obtinui grana 30 massæ albido - cærulecentis, semivitrificatae, odorem phosphori spirantis, atque obsitæ granulis metallicis minutissimis. Hæc, quæ ex vitrificata massa separavi, attrahebantur a magnete vi adeo debili, ut sponte iterum deciderent. Fuerunt autem granula ista in illa duntaxat superficie massæ conspicua, quæ parieti tigilli interne adhærebat immediate. Superficies vero superior massæ, pulvere carbonum tecta, nihil monstrabat metallici.

In hac operatione acidum phosphoricum se unit cum carbonate calcareo, quocum in massam vitream concrescit, & partim oxygenio suo a carbonio spoliatum mutatur in phosphorum, qui pro parte, ferro obvio se associans, Phosphoretum ferri constituit, pro parte vi ignis in auras avolat. Ferrum, uti dictum est, vi lentissima a magnete attractile abunde prodit heterogenei additionem, respueretque, si modo forma granulorum majorum obtineretur, vim omnem magneticam. Docet præterea massæ in experimentum tractæ decrementum, portionem phosphori in auras abire, sicque unionem cum moleculis tigilli ferreis in contactu positis inire, quas autem colligere non poteram ob eorum exiguum volumen. An in hoc processu phosphorus sublimatus hanc e calcareo productam substantiam metallicam

se-

secum in altum vehens, ad hanc tigilli partem deposuisset? At vero in tigillo tres pollices duntaxat alto, ubi etiam aëris irruentis torrens unum & dimidium pollicem in diametro habet, nequeo invenire differentiam gradus caloris in tantillo altitudinis discrimine, nec ullam causam, ob quam phosphorus, una cum metallo volatilis redditus, locum illum tigilli occupasset. E contrario constat, Phosphoretum ferri, tractatum ita, ut aëris accessus excludatur, prout id in educatione ferri e suis mineris fit, intensissimo resistere ignis gradui.

Probabo jam, substantiam metallicam, in experimento 1. observatam, Phosphoretum esse ferri, atque ex tigilli substantia suam traxisse originem, experimentis sequentibus.

2. Pulvis carbonum in tigillo oleo lini inuncto tractatus, methodo eadem in Exp. 1., expositusque eidem ignis gradui, exhibuit ferrum a magnete attractile tam in superficie, tigillum proxime tangente, quam in tota reliqua.

3. Viginti quatuor grana phosphori cum tantillo olei lini, ad præcavendam illius decompositionem, mixti, & pulvere carbonum tecti, omnibusque ut in Exp. 1 & 2 observatis, largiebantur ferrum, partim a magnete attractile, partim illius vim eludens. Massa tigilli obsidebatur granulis metallicis tam in externa, quam interna superficie. An non inde cum fundamento asserere licet, phosphorum omniaque principia illum componentia quam maxime esse apta, educere ferrum ex corporibus, illudque secum unire, sicque largiri substantias metallicas supra obtentas? Nulla in processu hoc usus fui substantia terrea, excepta illa tigilli, quæ in omnibus experi-

mentis pro una eademque habenda est. Quare etiam ad substantiam illam metallicam, quam tigilla continere possunt, quæque secundum experimenta abundantia copia obtinetur, & vel ferri puri vel phosphoreti ferri indolem monstrat, animum quam maxime advertere debemus.

Jam omnibus in unum collectis experimentis, hisque innixus, arbitror, me posse afferere, substantias metallicas in reductione terrarum enatas, indolis phosphoreti ferri, originem suam præcise debere pulveri cupellarum, quoniam ex his cupellis enatus phosphorus, conjungens se cum ferro partim in iisdem cupellis, partim in tigillis contento, has substancias metallicas largitur.

Non examinabo possibilitatem vel impossibilitatem reductionis terrarum simplicium in metalla, nec priorem in controversiam duco, id tamen hucusque a me impetrare non poteram, ut methodum laudatam adeo magni habitus extra omnem dubitationis aleam positam considerarem. Certum namque est, adhibendo in processu hoc vasa quæcunque e terris composita atque in igne refractaria, substancias puras, cuique speciei terræ appropriatas, obtineri nunquam. Nihilominus tamen jam tunc magni momenti foret detectio, si terræ hæ etiam in statu suo mixto forma metallica ante oculos poni possent; respectu tamen semper habito ad illa principia, quæ heterogenei metallici quidquam immiscere valerent, quemadmodum id in methodo nostra cum cupellarum pulvere & tigillis contingit. Veritatis amans, experimenta mea, indeque deductas sequelas clarissimorum in arte chemica virorum subjicio scrutinio, illorum animadversiones, sicuti erro, grato animo amplexurus. Dabam Viennæ 24. Novembris 1790.

## I I.

JOANNIS ANDREÆ SCHERER

MED. DOCTORIS

## SCRUTINIUM HYPOTHESEOS

PRINCIIPII INFLAMMABILIS.

**N**ullum est sane in disciplinis chemicis argumentum, in quo magis naturæ scrutatorum desudat industria, nullum, in quo duce potissimum magno Lavoisiero felicius penetrat, quam illud, quod doctrinam Stahlii de principio inflammabili spectat. Et quidem jure optimo tantus in ea examinanda impenditur labor, quum illa, jam per longam annorum seriem accepta, & hinc veluti quandam certitudinis possessionem adepta, assentiendi consuetudine altius atque tenacius inhæreret animo, quam ut ad severiorem trutinam revocaretur. Ingeniosa enim Stahlii hypothesis, principium inflammabile, ea gaudebat subtilitate, ut omnes nostros effugeret sensus, nulloque coercendum instrumentorum apparatu chemicum omnino eluderet examen. Ipsæ etiam proprietates, quibus illud exornaverat auctor, multis naturæ phænomenis explicandis satisfacere videbantur, quare etiam huic,

tanquam certo corporum principio, in omni naturæ regno, ut ajunt, disseminato, explicationes phænoimenorum non tantum chemicorum, verum etiam aliorum, quæ plures aliæ scientiæ, imprimis Aërologia, imo ipsa Physiologia, illustranda suscipiunt, superstructæ fuere.

Quantumvis autem nemo alicujus nominis chenicus, aut naturæ investigator, per semisæculum & quod excedit, dubitaverit unquam de existentia phlogisti, nullo licet positivo arguento, nulloque experimento directe demonstrato, non desuere tamen chemici, qui sibi aliam atque aliam finxere substantiam inflammabilem. Plena his exemplis sunt antiquiorum & recentiorum scripta. Ingratus autem foret labor, extraque cancellos mihi propositos ducerer, si ab ævo magni Stahlii ad nostrum usque innumera luxuriantis ingenii producta, compositiones phlogisti ex igne, terra elementari, aëre, materia caloris & lucis, ut taceam plura ejusdem fortis figmenta, longa serie ad nauseam usque recensere & recoquere velle. Inde tot miræ, variæ, oppositæ, non raro absurdæ proprietates, quibus ditatum erat principium inflammabile. Sufficiat igitur animadverte-re, omnes in universum has hypotheses & opiniones tot solidis jam op-pugnatas esse argumentis, ut penitus concussæ dici possint.

Majoris momenti scopum mihi proposui, quæstionem nimirum de existentia ejusmodi principii, nostris diebus inter chemicos magni nominis agitatam; examen argumentorum & objectionum, quas gravissimæ authoritatis viri, systematis antiphlogistici adversarii, ad corroborandam, stabi-liendamque Stahlii doctrinam in medium protulere. Atque illud est, quod in hac dissertatione pro viribus meis præstare conabor.

Ut autem ordine progrediar, necessarium duxi, fundamenta, quibus theoria antiphlogistica superstructa est, breviter definire; ut, quæ in progressu dicenda sunt, facilius intelligantur, paucisque expedire concessum sit.

1. Aër atmosphæricus ex duplice fluido elasticō componitur, altero aëre vitali, gas oxygenio dicto, altero vitiato, azotico. Id per analysim & synthesis demonstratum est.

2. Principalis causa formationis vel geneseos fluidorum corporumque solidorum in auram elasticam permanentem consistit in materia caloris. Omnia igitur corpora ex solida sua conditione continuis gradibus ad statum liquidum, vaporosum, tandem aëriformem progrederi apta sunt; ut itaque quodvis gas ex basi sua peculiari & ex materia caloris constet.

3. Omne fluidum aëriforme, ipseque aër atmosphæricus, elasticum suum habitum deponere potest, principiumque largitur, quod, perditio suo calorico componente, in synthesis multorum corporum ingreditur. Caloris autem materia, vinculis suis soluta, incremento temperiei, rarefaciendi facultate, luce & flamma manifesta fit.

4. Aër vitalis ex calorico & principio acidificante sive oxygenio constat, & hoc oxygenium cunctorum acidorum basim efficere videtur. Nam deposito suo elatere, per privationem calorici, congreditur cum sulphure, cumque eo acidum sulphuricum & cum aliis substantiis varia producit acida, secundum diversam earundem naturam; sic cum substantia carbonacea, gas acidum carbonicum, sive aërem fixum; cum phosphoro acidum phosph-

phosphori. Quodlibet igitur acidum ex propria basi, oxygenio conjuncta, constare, suadet analogia ab experimentis desumpta.

5. Aqua ex basibus aëris vitalis & inflammabilis secum invicem combinatis constat, quæ si cum caloris materia conjungantur, statum aëreum acquirunt; combinatione autem directa aquam denuo componunt, cuius pondus æquale est summæ ponderum utriusque fluidi aërei adhibiti.

6. Calcinatio, sive oxydatio metallorum, vi combinationis istorum cum basi aëris vitalis contingit. Excessus ponderis oxydorum supra illud metalli a basi aëris vitalis, unita cum metallo, derivandus. Reducuntur iterum ope corporis, quod majorem attractionem electivam in oxygenium, quam in metallum exercet.

His præmissis audiamus jam, & examinemus, quæ contra propositos canones a variis motæ sunt difficultates & objectiones. Initium faciamus ab illis, quæ Cl. Kirwan (*an Essay on Phlogiston*) in medium protulit.

Hic ingeniosus vir pro comperta & certa veritate habet, aërem inflammabilem, qui inclytis chemicæ nomenclaturæ authoribus, gas hydrogenum audit, verum esse Stahli principium phlogisticum, omnibus gaudens proprietatibus ipsi adscriptis; nihil acidi, nihil terrestris vel phlogisti (uti arbitrabantur clarissimi viri Priestley, Senebier multique alii aërologi) illius synthesim ingredi. Esse igitur gas hydrogenum purissimam unam eandemque semper substantiam, in statu fixo, sive cum corporibus combinatam, Phlogiston, in fluido vero & aëriformi inflammabilem aërem compellandam. Ad præcipua, quæ, ad probandam identitatem istius aëris cum Phlogisto,

pro-

proposuit argumenta, & quæ ipsi omni exceptione majora videbantur, pertinent sequentia:

1. Gas inflammabile illud ipsum esse principium, quod flammarum concipit, alit, & in omni naturæ regno disseminatum est.

Novimus ex physicis, phænomena inflammationis & combustionis corporum cum aëre, arctissimo & indissolubili nexu, esse conjuncta; hinc etiam non obtinent in fluido qualicunque a diathesi aëris atmosphærici longissime recedente; imo ipse aër inflammabilis per se flammarum non concipit, excluso omni aëris externi accessu. Novimus porro, aërem communem a substantia quacunque in illo ardente, in sua decomponi principia constitutiva, illiusque oxygenium absorberi, cujus exempla præbent experimenta cum sulphure, phosphoro, metallis &c. instituta, incrementum ponderis capientibus æquale ponderi quantitatis aëris absorpti vel decompositi. Quotiescumque igitur aër sua privatur elasticitate, vel, quod idem est, decomponitur, & in statum solidum cum corpore, quocum unionem init, condensatur, notabilis caloris latentis quantitas, principium illius constitutivum facientis, evolvitur, qui incremento temperiei, rarefactione, luce & flamma manifesta fit. Si jam per experimenta Cl. Crawford (*Experiments and observations on animal heat &c.*) aliorumque constat, aërem atmosphæricum, vel potius illius gas oxygenium, magnam in se fovere ignis latentis copiam; an non patet, ex aëre illo, dum cum corpore quodam se conjungit, in sua principia resoluto, calorem evolvi debere magna quantitate? imo forma lucis & flammæ, si synthesis aëris vitalis vi momentanea solvatur. Elegans hoc phænomenon præbent phosphorus, ferrum & zincum, in aëre oxygenio ardentia, continuatque illud tamdiu, donec fere omne gas con-

sumtum fuerit. Ex his intelligitur sponte, evolutionem calorici, phœnomenaque inflammationis, in ratione celerioris vel tardioris decompositionis aëris ambientis, plus minus oxygenii continentis, diversis gradibus locum habere debere. Quid igitur nos movet, principium quoddam inflammationis in ipsis corporibus, flammarum concipientibus vel phlogisticis dictis, querere, si phænomeni inflammationis verisimilior ratio in aëre ambiente latere videatur? Substantiæ illæ, nomine inflammabilium comprehensæ, symbolam dumtaxat suam conferunt, quatenus præ ceteris vi pollent attrahendi decomponendique gas oxygenium aëris ambientis; ut igitur, pro diversitate illius proprietatis, plus minus inflammabiles dici possent. Quod vero ad Cl. Kirwan assertum nimis generaliter assumptum attinet, videlicet gas inflammabile omnibus inhærere corporibus, id nequaquam demonstratum hucusque est. Docent e contra experimenta, hac super re instituta, gas illud ex sulphure, carbonibus & metallis vi ignis obtentum, obtineri dumtaxat ex illis, in quantum humida sunt, & hinc his substantiis essentialiter non inesse, sed esse partem constitutivam aquæ hocce ignis gradu depositæ. Quare etiam concludere licet, gas hydrogenium ex substantiis, tum vegetabilibus, tum animalibus, combustione acquisitum, ex eadem decompositione aquæ originem trahere.

Verum enim vero difficultates, quas Cl. de la Metherie (*Journal de Physique. T. XXXIV. 1789. Janv. pag. 22 — 40.*) novæ theoriæ anti-phlogisticæ adversarius præ cæteris primus, contra modo datam explicationem inflammationis, protulerat, ut attingam, necesse est. Prima ipsius objectio hæc est:

Quod

Quod si a materia caloris, decompositione aëris vitalis evoluta, inflammationis phænomena producerentur, hæc locum habere deberent, quotiescumque idem aër habitum suum deponeret aëriformem. Id autem non obtinere, doceret miscela aëris nitroſi cum aëre oxygenio; ubi præter calorem nil observatur, licet & hic aër vitalis momento decomponatur.

Cl. de la Metherie non videtur, dum hoc argumentum proposuit, considerasse, decompositionem diversis gradibus absolvi, sive etiam calorium majori minorive quantitate, vel simul & semel, vel lente tantum, evolvi, illudque etiam a substantiis, in hoc vel illo processu mox combinatis, plus minus absorberi, quod in adducto exemplo etiam locum habet. Calor combinatione aëris vitalis & nitroſi extricatus, absorbetur mox ab acido nitrolo recens producendo. Præterea notandum hic etiam est, portionem aëris vitalis non decompositi symbolam suam conferre ad formandum acidum nitrosum formam vaporum.

Urget porro Cl. de la Metherie: quantitates caloris specifici aëris inflammabilis & vitalis esse secundum repetita Cl. Crawford experimenta in ratione uti 21. ad 4. Si itaque aër inflammabilis majore quantitate calorici gaudeat, quam aër vitalis, sequereturflammam & lucem ex illo ortum trahere.

Quamvis hæc ratio caloris latentis in utroque aëre non parum ab illa differat, quam a Cl. Crawford in prima sui operis editione accepimus, nequaquam tamen theoriæ nostræ adversatur; quoniam directis experimentis demonstratum nondum est, aërem inflammabilem substantiis phlogisticis dictis revera inesse.

Alterum argumentum Cl. Kirwan desumptum est ab experimentis, quibus constaret, gas hydrogenium reducere calces metallorum in formam suam metallicam.

Omnia rite perpendenti, non videtur huic argumento ea inesse vis, quæ a fautoribus Phlogistologiæ unanimi applausu deprædicabatur, quod paulo inferius, ubi ad idem argumentum a Cl. Priestleyo allatum & primo loco positum responsum dabo, patebit. Calces metallorum auri, argenti & hydrargyri solo calore, sine interventu alterius substantiæ vel gas inflammabilis, reduci possunt. Ad explicandum phænomenon hoc nil restat Stahlianis, quam transmigratio phlogisti per poros vitrei apparatus. Sed habito respectu ad aëris inflammabilis proprietatem hæc certo locum habere non potest. Nec juvat beati Scheelii hypothesim in auxilium vocare, utpote solidissimis jam refutatajam argumentis. Verum ut reductionem hanc, adjuvante phlogisto, explicaret Cl. de la Metherie (*Journal de Phys. T. XXXIV. pag. 22 — 40.*) assumit, aërem vitalem, sub oxydatione metallorum, inire unionem cum phlogisto, sicque producere aërem fixum sive gas acidum carbonicum, quod ab oxydo metallico absorptum, & ibidem decompositum calcibus reducendis suppeditaret phlogiston. At, ut taceam multorum chemicorum experimenta, quibus constat, aërem oxydationi metallorum expositum, nullatenus mutari in gas acidum carbonicum, sufficit dixisse, & hanc a Cl. de la Metherie denuo recoctam hypothesim jam dum ab Ill. Præceptore meo Jacquinio solide esse oppugnatam (*Anfangsgründe der med. prakt. Chymie 1783. §. 589.*)

Quod autem ad reliqua metallorum oxyda attinet, quæ materiei carbonaceæ vel phlogisticæ subsidio egent, facile est phlogistologis affere,

re, reductionem aëris inflammabilis ope in carbonibus contenti perfici. At docent experimenta Cl. Lavoisier (*Traite elementaire de Chimie à Paris 1789 T. 1. pag. 67. Mem. de l'Ac. R. des Sc. A 1781. pag. 448.*) aliorumque celebrium in gallia chemicorum, materiam carbonaceam cum oxygenio junctam & saturatam gas acidum carbonicum sive aërem fixum constituere. Hinc sponte fluit explicatio muneris, quo materies carbonacea vel alia inflammabilis substantia fungitur. Hæc cum oxydo metallico in contactu posita, rapit oxydo isti suum aërem vitalem, quocum gas acidum carbonicum format. Calx metallica, oxigenio nunc spoliata, eas perdit proprietates, quas istius adjunctione assecuta fuit, ponderis incrementum, & cætera. Oxygenium igitur majorem attractionem in carbonium, quam in oxydum metallicum exercet. Si jam, secundum experimenta, totum fere carbonis pondus ad formandum gas aëris fixi impenditur, nihil igitur in oxydum ingredi potuisse, sequitur; & si quid ingressum vel cum illo unitum est, habet corpus omnis ponderis expers, nam metallum reductum pristinum exhibet pondus. Patet ergo, aëri carbonum inflammabili reductio-  
nem calcium metallicarum sine ullo fundamento adscribi, tum quia carbo-  
nes, omni humiditate & hinc omni aëre inflammabili spoliati, ad reduc-  
tionis negotium optime inserviunt, tum quia plane non constat, aërem il-  
lum esse carbonis principium constitutivum, sed potius aquæ carbones hu-  
mectantis.

Verum enim vero gravia in medium protulit experimenta Cl. Gren (*Dissert. sylvestris observ. & exper. circa genesin aëris fixi & phlog. Halle 1786. pag. 55.*) contra nostram reductionis theoriam. Negat ille simpliciter, oxygenium in calce metallica recens parata latere. Destillando calcem plumbi recenter paratam & adhuc calidam ex retorta vitrea & loricata,

igne aperto & sensim aucto, nihil aëris obtinuit, præter illum in retorta contentum vulgarem. Retorta diffracta, calcem in vitrum mutatam invenit Sæpius repetitum experimentum eundem ipsi exhibuit eventum. Idem confirmat in libro (*Crells chem. Annal.* 1790. B. 1. pag. 240.) de oxydo hydrargyri rubro in vase aperto parato. Hinc concludit, calces metallicas recentes nullum in se fovere aërem, quem incarceratum ad imaginationis producta ablegit.

Non facile dabimus, innumera illa experimenta, quibus edocti sumus, metallorum oxydationem in ratione voluminis aëris decompositi peragi, illiusque oxygenium absorberi, esse falsissima. Multum enim confert gradus caloris respectu aëris e calcibus expellendi. Sic obtinuit Cl. Priestley ex uncia una oxydi plumbi rubri, mox validissimo igne tractati, duas mensuras anglicanas aëris puri, altera vero vice ex eadem calcis quantitate & igne leniore administrato, duas duntaxat unciales mensuras. Constat etiam, metalla ignobilia imperfecte calcinata, vel oxygenio nedum saturata, licet magno ignis gradu vexata, vix quidquam aëris dimittere. Sed refellamus potius experimenta hæc directis aliis a Cl. Westrum (*Kleine chymische Abhandl.* Leipz. 1787. B. 2. Hest 1. S. 138.) institutis, quibus evincitur, calces metallorum etiam recentes aërem in se fovere. Hic, destillando oxydum hydrargyri rubrum recens paratum, & in tigillo aper-to per integrum horam in igne detentum, obtinuit ex unciis duabus 80 pollices cubicos aëris vitalis purissimi. Eadem methodo tractata calx zinci recens parata, & per duas horas intenso igni exposita, dedit adhuc candens retortæ immissa, præter aërem purum, multum aëris fixi. Addit Cl. vir, oxydum zinci intensiori ignis gradu egere quam ullum aliud, ut aërem suum dimittat, quod superius dicta egregie confirmat.

Tan-

Tandem ut monstraret Cl. Gren , incrementum ponderis calcium metallicarum ab oxygenio absorpto non provenire , calcinavit ille 6 uncias plumbi dimidiamque stanni in tigillo plano ferreo super ignem leniter. Oxydum obtentum flavescens æquabat septem uncias cum drachma dimidia. Pondus ergo oxydi  $4\frac{1}{2}$  drachmis increvit. Hoc in crucibulo terreo , igni sufficienti expositum , mox abibat in vitrum , cuius pondus illud calcis superabat ad drachmæ semissem. Hoc solo experimento evincitur , ait Cl. Gren (l. c. pag. 56.) opinionem multorum naturæ scrutatorum de causis incrementi ponderis calcium metallicarum plane esse fallam , imprimis vero & Cl. Lavoisieri hypothesim de absorbtione aëris puri , qui calci superstitione infigat , ejusque pondus adaugeat , veram esse non posse , nisi paradoxæ inhærere velis opinioni , in vitro metallico adesse adhuc aërem purum seu fixum. Tantum Cl. Gren.

Incrementum ponderis calcium metallicarum ab absorpto & calcibus infixo aëre vitali dependere , ad oculum , ni fallor , demonstratum est experimentis. Quid , quæso , nos docet decrementum certæ quantitatis aëris , in quo oxydatio metalli , radiorum solarium in focum collectorum ope , peragitur ? quid aquæ vel mercurii , aëris inclusi & progrediente calcinatione consumpti locum occupantis , adscensus ? Et si porro liquoris adscensus rationem oxydationis metalli servet , pergitque , donec volumen aëris inclusi ad certum terminum diminutum fuerit , cessetque tandem calcinationis negotium , qualiscunque etiam sit caloris intensitas metallo communicati. An ex omnibus his alia conclusio formanda , quam illa de decompositiōne aëris inclusi , & absorbtione ejus oxygenii , unde illud calcium incrementum ponderis ?

Quod

Quod autem opinionem illam de existentia oxygenii in vitro metallico attinet, hæc, mihi liceat pace tanti viri dicere, non adeo paradoxa videtur, prout primo intuitu forte apparet. Etenim si oxygenium in lythargyrio plumbi utpote substantia semivitrificati latet, a Cl. Priestley vi ignis expulsum, nullus video, cur non etiam illud ipsum oxygenium, elatere suo privatum, forma solida vitro metallico infixum esse, ejusque pondus adaugere posset; forte ad vitrificationem calcium peragendam æque necessarium, quam metallorum oxydationem.

Tandem examinandum adhuc supereft argumentum illorum, qui existentiam phlogisti in aëre, calcinationi metallorum subiecto, & vitiato quærunt, illumque phlogisticum appellant. Ast non sufficit, dixisse, in dolore aëris ejusmodi vitiati aptius explicari non posse, nisi principium quoddam inflammabile e metallis egressum assumatur; requiritur nempe, ut id, quod pro causa adstruitur, effectibus, qui ipsi tribuuntur, præstandis sufficiat, atque ut ejus existentia sit probata. De primo constat, aërem illum vitiatum, azoticum, non possidere proprietates illas, phlogisto adscriptas, utpote restitutioni oxydorum metallicorum, & alendæ flammæ ineptum. De existentia autem per experimenta nos certos reddere hucusque non poterant phlogistologi. Totum phænomenon hoc innititur decompositioni aëris atomphærici. Evidetum namque est per experimenta indubitata, aërem communem sub ipsa metallorum oxydatione in suas resolvi partes constitutivas; basi aëris vitalis a metallo absorbta, & ejusdem calorico deperdito, remanet altera aëris communis pars constitutiva, nempe gas azoticum, quod, cum aëre vitali ex calce expulso commistum, priorem aëris communis puritatis gradum exhibit. An igitur, si quidquam phlogisti e metallo egressum fuisset, unionemque iniisset cum aëre ambiente, pristina aëris conditio re-

di-

dire potuisset? Et si aér, post calcinationem superstes, phlogisto, substantia ponderosa, inquinaretur, quare ille ipse aér multo est levior atmosphærico? An non hæc proprietas abunde docet, aërem communem, calcinationi metallorum expositum, privari parte sua ponderosiore, videlicet oxygenio? Porro compertum est, aërem vitalem purissimum fere totum absorberi ab hydrargyro, si in illo calcinatur. Si interrumpitur processus ita, ut portio quædam aëris vitalis remaneat, hæc tunc, quantum ex Cl. Lavovisi experimentis elucet, nulla ratione mutationem passa est, eadem gaudens puritate. Idem etiam effectus locum habet cum ferro purissimo. Unde patet, nil ex metallo egressum fuisse, quod gas oxygenium inquinasset. An non forte & hic iterum phlogiston, oxygenio junctum, aufugit aut forma caloris, aut lucis? Demus illis, quod volunt, lubenter. Sed in hac hypothesi si aufugere quacunque sub forma possit, quare hæc phlogisti transmigratio e contra ex igne in crucibulum locum habere nequit, quando metallorum ignobiliorum calcium in tigillo poroso medias inter prunas frustra tentatur reductio. Mirum sane, quod principium inflammabile, priori in casu penetrans, hocce in casu destitutum eodem sit privilegio; principium, quod pro lubitu proprietatibus donari potest ab iis, qui hypothesisibus delectantur.

At dicet cum Cl. de la Metherie aliquis: an non reductio calcium metallorum nobilium explicari etiam posset ab hydrogenio, sub actu reductionis, combinatione oxygenii & materiæ caloris vel lucis, producto? En novum iterum phlogiston, oxygenium luminosum! a Cl. de la Metherie (*Journal de Physique T. XXXIV. pag. 22 — 40.*) sequentibus argumentis adstruetum. 1) Quia acidum nitricum, radiis solaribus expositum, rufescit, evolvitque portionem gas oxygenii; 2) calx argenti alba, sole il-

luminata, nigrum acquirit colorem; 3) acidum sulphuricum vel phosphoricum, calori expositum, mutantur in sulphur & phosphorum; & tandem. quoniam gas hydrogenium, diu supra aquam detentum, habitum aëris puri acquirit.

Qua ratione genesis gas hydrogenii ex aëre vitali & materie aut caloris aut lucis cum invicem combinatis ex adductis observationibus pateat, nullus video, mihi faltem præter evolutionem aëris vitalis nil docere videntur. Sed demus, gas hydrogenium componi ex hisce materiis, an non, cæteris omnibus æqualibus, oxyda metallorum ignobilium sponte reduci etiam deberent, quoniam nil ad producendum gas hydrogenium desideratur; adest enim oxygenium in calce, calore luceque imprægnatum. Quod autem transmutationem aëris inflammabilis in aërem purum attinet, hæc nullo positivo hucusque experimento evicta est. Imo observatio Cl. Hassenfratz (*Annales de chimie. T. I. pag. 192.*) docuit, aërem inflammabilem spatio trium annorum supra aquam stagnantem nil alterationis passum fuisse, quam observationem etiam Cl. de la Croix (*Annal. de chim. T. VI. pag. 158.*) confirmat, afferendo, eundem aërem, novem mensibus in contactu cum aqua positum, & sæpe sæpius per integras horas agitatum, totam suam retinuisse viam explosivam. Præsentia igitur aëris puri a Cl. de la Metherie observati aliis debetur circumstantiis, quas in translatione mea germanica operis Cl. Nahuys de origine aquæ proposui.

Ad ultimum tandem argumentum Cl. de la Metherie, nimirum calces metallorum nobilium, majori ignis gradui expositas, majorem etiam gas hydrogenii quantitatem producere, superfluum vero aërem vitalem eo-  
dem

dem tempore expellere, respondemus, nos libenter fateri, omnia penitus ignorare, quæ in visceribus oxydorum elaborantur.

Sed redeamus ad tertium Cl. Kirwan argumentum pro existentia phlogisti, desumptum ab eo, quod aër inflammabilis solo calore e metallis expelli, & obtineri possit.

Aërem inflammabilem in experimentis cum metallis vi ignis obtinum decompositioni aquæ deberi, tot tantisque hodie experimentis evictum est, ut argumentum Kirwani omnem perdiderit vim demonstrationis. Ipse Cl. Priestley (*Transact. philos.* 1785. part. 1. pag. 279.) observavit, limaturam ferri humidam, igni valido expositam, largiri certum aëris inflammabilis copiam, tandem autem nihil prodire ulterius, donec iterum parvam aquæ copiam tubo immitteret ferreo. Siccissima autem & recens para ta limatura martis, vel laminæ ferri politæ vel alterius metalli, tubo ferreo aut cupreo absque omni aquæ accessu immisso, licet per unam alteram ve horam candeant, nihil aëris inflammabilis producunt. Experimenta hæc instituit Cl. Nahuys (*Diss. chem. de origine aquæ* pag. 22.) ex industria cum omnibus metallis & semimetallis semper eo cum eventu, ut ne bullula aëris inflammabilis obtinuerit; imo licet multo majore etiam caloris gradu, folle magno dupli animato, ad experimenta sua usus fuisset. Quod porro magni momenti argumentum, contra aëris hydrogenii egressum & separationem a metallis, suppeditat, est, quod calcinatione in aëre puro nulla obtineat separatio gas hydrogenii ab iisdem, uti illud appareat, quando illorum calcinatio in vasis clausis, aërem purum continentibus, instituitur; tum enim aër purus volumine decrescit, & metalla pondere augentur in ratione, qua aër hic volumine & pondere decrescit, sed post peractam

## D E P R I N C I P I O

saturationem illorum cum aëre vitali nihil gas hydrogenii vel aëris inflammabilis in vase reperitur, in quo calcinatio facta fuit. Videmus igitur, aërem inflammabilem a metallo non secedere, dum aër vitalis cum ipso combinatur. Si jam aër in hoc casu inflammabilis obtineatur nullus, sequitur sponte, etiam illum, qui in altero casu, quando videlicet metallum vaporis aquæ exponitur, producitur, non ex ipsa substantia metalli extricari, sed ab aqua hic decomposita evolvi. Utroque enim in casu metallum convertitur in calcem, & res eodem redit, sive aër vitalis ex aëre communi, vel alia substantia separatus, sive aqua illum præbeat, metallo applicetur, cumquæ eo combinetur. Proinde in utroque casu aër inflammabilis a metallo educi debere t, quod autem absque interventu aquæ non obtinet; ut igitur evictum sit, aërem inflammabilem in experimentis cum metallis, vi ignis obtentum, esse aquæ principium constitutivum. Egregie etiam confirmant assertum nostrum experimenta Cl. Achard (*Crells chem. Annal.* 1785. B. 1. pag. 4.) cum diversis metallis ad candescentiam perductis & in aquam frigidam immisis, scopo obtinendi gas hydrogenium, quod ipsis metallis inesse credit. Hac methodo obtinuit ope ferri zinci & cupri (de quo posteriori valdopere dubito) magnam gas hydrogenii copiam; cetera vero metalla aërem largiebantur tantum communem, quia aqua ab his non decomponitur, ob minorem eorum cum aëre puro attractionem, quam est illa aëris inflammabilis cum eo in aqua. Si jam aër inflammabilis essentialiter inesset metallis, cur eundem non præbent plura metalla ad candescentiam perducta? cur duntaxat zincum ferrumque?

Quartum argumentum Cl. Kirwan est: quod aër inflammabilis cum acido vitrioli, admisso igne solari, constitutus sulphur; producendum etiam, destillando idem acidum concentratum cum ferro vel wismuto.

Aci-

Acidum vitriolicum propria constare basi sulphurea & principio acidificante sive oxygenio illam saturante, docet combustio sulphuris in aëre oxygenio. Ferrum & wismutum, majore affinitate prædita, aggrediuntur oxygenium acidi vitriolici, quocum unita in calcem convertuntur. Acidum vitrioli, suo nunc privatum oxygenio, fistit alterum principium constitutens sulphureum. In hoc igitur experimento sulphuris compositio ex aëre inflammabili, in metallis ferro vel wismuto tantum supposito, & combinato cum acido vitrioli qua tali, locum non habet, quoniam sulphur in acido vitrioli latens privatione oxygenii evolvitur. Quod vero genesim illius sulphuris combinatione aëris inflammabilis cum acido vitrioli producti attinet, explicationem dabimus paulo inferius, ad idem argumentum Cl. Priestley responsuri.

Absoluto sic examine argumentorum Cl. Kirwan, jam ad illa primo intuitu ponderosiora Cl. Priestley accedamus. Fatetur quidem eximus vir, principium inflammabile ad illas pertinere substantias, quarum indoles genuina perquam difficulter erui atque determinari potest. Nihilominus tamen in partes eorum transit, qui præsentiam phlogisti infatigabili studio demonstrare conantur. Primum illius argumentum est: Oxydum plumbi rubrum (Minium) aëre suo vitali orbatum, reduci ope aëris hydrogenii, in foco lentis vitreæ, cum splendore suo metallico.

Sponte intelligitur, Cl. Priestley oxydum plumbi in experimentum traxisse aëre spoliatum, ut explicationem reductionis scholæ antiphlogisticae redderet difficiliorem. Verum non facile dabimus, calcem hanc omni suo spoliatam fuisse aëre, quoniam plumbi, ferri & magnesii nigri oxyda, licet violentissimo ignis gradu exposita, non omnem dimitunt aërem.

Hinc facilis reductionis istius etiam calcis in pristinum metallum explanationis modus. Basis gas hydrogenii, combinando sese cum oxygenio in calce plumbi praesente, generat aquam, aequalē ponderi aeris inflammabilis adhibiti, ut & ponderi baseos aeris vitalis a calce separatae, simul sumtis. Inde adscensus aquae vel mercurii intra recipientis cavitatem; inde gas hydrogenii decrementum. Oxydum plumbi, nunc aere vitali spoliatum in integrum, forma & nitore metallico in conspectum prodeat, necesse est. At liceat querere, cur reductio calcium metallicarum cupri, ferri & cobalti, eadem methodo tractatarum, imperfekte, ceterarumque nullatenus successerit, quum tamen aer inflammabilis illud ipsum esset phlogiston, in carbonibus existens, quorum ope omnes reduci possent calces metallicae? An non & ipsa haec Priestleyi experimenta pro theoria antiphlogistica militant, docendo, attractionem electivam diversarum calcium metallicarum respectu oxygenii superare illam, qua hoc hydrogenium appetit? In tali casu aquae productio locum habere non potest, hinc etiam nulla ejusmodi calcis metallicae reductio in aere inflammabili.

At etiam objectiones, quas Cl. Priestley contra genesim aquae & basibus aeris vitalis & inflammabilis in *Trans. phil.* T. LXXVIII. 1783. pag. 147 — 157. protulit, ut attingam, necesse est. Postquam observaverat, finita combustionē aeris vitalis & inflammabilis ope scintillae electricae facta in vase clauso vitro enasci fluidum, tinturam heliotropii rubro tingens colore, quodque ipsum, experimento facto in globo cupreo, colorēm acquirit vel cæruleum vel viridescentem, mox pristinam deseruit opinionem, quam jam variis controvertere conatur argumentis. Acidus hic liquor, a Clarissimis viris Keir & Weithering examinatus, indolem monstrauit.

stravit acidi nitrici, licet prior etiam muriatici vestigia observaverit in experimento cum gas oxygenio e magnesio nigro parato.

Sed quid de genesi istius acidi sentiendum sit, videamus. 1) Cl. Priestley, comburendo methodo supra dicta cum aëre vitali & inflammabili certam gas azotici portionem, liquorem obtinuit aquosum, omni nota purissimum, vix acidulum; & in alio experimento cum aëre inflammabili & vitali, oxydo hydrargyri rubro parato, absque additione azotici, inventit nitrosi acidi loco acidum carbonicum. 2) In aliis experimentis, a diversis chemicis institutis, liquor aquosus omnis acidi nitrici expers inventus est. 3) Demonstravit Cl. Cavendish experimentis (*Transphilos. T. LXXV. pag. 372.*) coram clarissimis societatis Regiæ Londinensis Membris institutis, acidum nitrosum produci ex combinatione gas oxygenii, ex turpetho minerali parati, cum aëre azotico, sicque sine interventu ullius aëris inflammabilis. Quæ quum ita sint, an non sponte liquet, acidum nitrosum, combustionē aëris vitalis & inflammabilis in Priestleyi experimentis visum, aut mere esse accidentale, latens in aëris speciebus adhibitis, aut portioni aëris azotici immixti originem suam debere? quam sententiam nunc etiam Cl. Kirwan (*Crells chem. Annal. 1790. St. 10. pag. 323.*) adoptat. Primum suadent superius allatæ observationes, & inquinatus acido nitroso, vel muriatico vel carbonico uterque aër in experimentum tractus; alterum probatur experimentis Cavendishii, haud in dubium vocandis; siquidem gas azoticum, tanquam basis acidi nitrosi, unitum cum basi acidi vitalis, ipsum acidum nitrosum producere videatur. Sed quod apodicticum argumentum, tum pro generatione aquæ ex combinatione utriusque baseos aëris vitalis & inflammabilis, tum pro refutatione producti acidi nitrosi, suppeditat, desumo ab experimento a Clarissimis viris Fourcroy, Seguin & Vauquelin nuperrime in Gallia instituto. Aër vita-

lis

lis eliciebatur ex muriate potassæ oxygenio supersaturato, inflammabilis vero parabatur ex zinco ope acidi vitriolici; uterque ab omni aëre fixo depuratus interventu alcali caustici. Eventus experimenti fuit talis, ut pondus aquæ obtentæ fere æquale fuerit ponderi utriusque aëris inflammabilis & vitalis combusti simul sumti. Pondus enim ambarum aëris specierum, combustionē consumtarum, æquabat uncias 12, drachmas 4 cum granis 49; illud vero aquæ productæ uncias 12, drachmas 4 & grana 45. Deficiebant igitur ponderi integro grana 4, quod vix differentiæ nomen meretur. Aqua in hoc experimento obtenta & reagentibus tentata omni nota erat purissima (*Annal. de chim. à Paris* 1790. T. VII. pag. 257.)

Ut autem Cl. Priestley probaret, liquorem aquosum non produci combinatione basium utriusque aëris, asserit, aquam magna quantitate ingredi compositionē aëris fixi, ejusque pondus augere. Exinde concludit aquam constituere basim omnium cæterarum aëris specierum; ut igitur origo aquæ ex combinatione aëris vitalis & inflammabilis derivanda non sit.

Licet Cl. Priestley probasset, aërem fixum fere totum constare aqua, quod autem ab illo præstitum non est, neutquam tamen applicare potest argumentum hoc ad omnes aëris species, quoniam magna differentia inter proprietates aërum, absorbendi aquam majore minoreve quantitate, obtinet. Itaque multum abest, quod hoc argumento suam objectionem vel sic leviter firmaverit, ut aliqualem habeat verisimilitudinem. Ipse enim fatetur, nullo experimento se invenire potuisse, quantum aquæ unaquæque aëris species soluta teneat, abstracta illa, quæ compositionis partem necessariam efficit. Hinc patet, quanti ponderis sit illius objectio, dum ait, possibile esse, aquam in aëre vitali siccissimo posse novem decimas partes illius ponderis

effl-

efficere. An non eodem jure objectionem hanc invertere liceat? possibile esse, non tantum non novem decimas partes aquæ intrare synthesis aëris vitalis, sed ne intrare quidem unam decimam. Agitur enim hic tantum de possibilitate.

Porro adducit experimentum, ubi, reducendo oxydum hydrargyri rubrum in aëre inflammabili, quantum possibile siccissimo, notabilem aquæ quantitatem obtinuit. Hanc suæ hypothesi contrariam productionem aquæ interventu aëris inflammabilis, muriatis calcarei ope omni humido privati, ut aliquomodo explicaret, quærerit, an non supponi liceat, ipsam mercurii calcem in statu etiam siccissimo fovere aquam, sub illius reductio-  
ne separandam?

Hæc sane objectio, primo quidem intuitu, aliqualem veri speciem præ se fert; & nemo facile negare potest, oxyda metallica, præsertim illa via humida parata, aliquam aquæ portionem absorbtam tenere, quum il-  
lam Cl. Westrumb (*Kleine phys. chemis. Abhandl. Leipz. 1787. B. 2. pag. 121.*) experimentis cum diversis oxydis, via sicca & humida paratis, ex-  
tra omnem dubitationis aleam posuerit. Mirari sane subit, nullum adver-  
sariorum hæc in medium protulisse experimenta, ad impugnandam theoriam  
nostram de generatione aquæ sub reductione calcium in aëre inflammabili.  
Sed rem paulo attentius contemplantes, intelligemus, nil contra aquæ com-  
positionem ex basi utriusque aëris experimenta hæc probare Westrumbi.  
Pondus enim aquæ, in oxydo prius jam latentis, confluentisque cum illa,  
ex combinatione basium utriusque aëris mox enata, semper æquale erit sum-  
mæ ponderum aëris inflammabilis imminuti & suprapondii oxydi. Imo ipsa  
hæc experimenta non parvi momenti nobis suppeditant argumenta contra

theoriam de phlogisto. Ponamus aquam, sub reductione calcis metallicæ in aëre inflammabili obtentam, merum esse educūt; quam tunc rationem reddent phlogistologi insignis illius decrementi aëris inflammabilis, quod in reductionis negotio obtinet? Scimus enim per experimenta Cl. Priestley (*Trans. philos. T. LXXIII. Part. 2. pag. 398.*) unciam unam calcis plumbi 100, stanni 377, wismuti 185, ferri 890 unciales mensuras aëris inflammabilis consumisse. Illum a calce absorberi, neutquam afferere valent, quia tunc metallum reductum tanto pondere increscere debuisset, quantum pondus erat aëris inflammabilis consumti; quod autem observationibus directe repugnat. Verum si urgeret Cl. Priestley, aërem inflammabilem, utpote secundum suam hypothesim mere aquosum, resolvi in experimento rursus in aquam, respondemus, hoc ipso argumento demonstrari, nil aëris inflammabilis ingredi in calcem, & si quid ingredetur, illum esse corpus absque pondere. Et tunc tandem superest quæstio, quorsum aër vitalis, in calce contentus, deveniat, & qua ratione calcis reduc̄tio ope aëris inflammabilis absolvatur.

Ad aliud progredior experimentum Cl. Priestleyi, ubi post reductionem oxydi plumbi, vapore acidi nitri imbuti, intra gas hydrogenium foco lentis vitræ expositi, superstes aëris portio gas nitrosum erat, productum ex vaporibus acidi nitrosi & aëre inflammabili sive phlogisto cum invicem combinatis.

Experimentum istud, funditus ut everteret theoriam antiphlogisticam, ingeniose valde excogitatum est. Hoc enim probare conatur Cl. Priestley, idem gas hydrogenium, oxydum plumbi reducens, tanquam verum principium inflammabile, intrare etiam compositionem gas nitrosi, cuius,

jus, uti vult, constitutiva pars effet. Duo nobis hic consideranda sunt phænomena, alterum, quod reductionis negotium, alterum, quod generationis gas nitroſi ſpectat. Vix non omnes phlogiſtologiæ fautores in eo conveniunt, gas nitroſum componi ex acido ejusdem nominis, & phlogiſto. At multa phænomena docent, acidum nitricum conſtare baſi propria ſive azot, a Cl. Chaptal (*Elemens de Chimie, montpellier 1790. Tom. I. pag. 39.*) nitrogenio dicta, & oxygenio; porro idem hoc acidum ſub actu ſolutionis metallorum in suas partes decomponi conſtitutivas, ita, ut illius oxygenium a metallis abſorbeatur, azoticum vero principium cum calorico combinatum in fluidum evolvatur aëriforme, nomine gas nitroſi. Hæc experimentis ſuperstructa theoria egregie explanat phænomena illa, quæ ex combinatione gas nitroſi cum aëre aut respirabili aut vitiato exſurgunt, ſicuti gas hoc offendit fluidum aërcum, oxygenium continens, mox acidu- nitroſi induit habitum. Inde decrementum voluminis aëris respirabilis in ratione aëris oxygenii ibidem latentis, nec a phlogiſto aëris elaterem conſtringente, nec a præcipitatione aëris fixi, uti nonnulli voluere, explicandum. Ex his jam ſponte elucet, diathesim noxiā vulgo phlogiſticam aëris respirabilis, per additionem gas nitroſi productam, nequaquam de- pendere a principio quodam inflammabili auræ nitroſæ. Nam aër respirabilis ex binis conſtat fluidis elasticis, videlicet oxygenio & azotico; prius, combinando ſe cum aura nitroſa, acidum generat nitroſum; residuum aëris, alendæ flammæ & conservandæ vitæ animalium ineptum, altera eſt pars aëris respirabilis, vitiata, azot dicta.

His præmonitis, jam propius ad Cl. Priestleyi experimentum accede- dere licet. Ostendit ille in decurſu fuorum experimentorum, oxydum plumbi, vapore acidi nitroſi imprægnatum, & in retorta vitrea igne va-

lidiori detentum diu, spargere vapores rubros. En in hoc processu acidum nitrosum decompositum, illius oxygenium a calce plumbi absorbtum, & alterum illius principium, jam calorico junctum, expansum in gas nitrosum, quod ab aëre vitali, ex eadem calce expulso, mox iterum in acidum nitrosum forma vaporum rubrorum convertitur. Idem phænomenon igitur in experimento superius laudato locum habeat, necesse est. Eo ipso momento, quo oxygenium ex calce plumbi vi ignis solaris extricatur, & coniunctim cum gas hydrogenio obvio deflagrando in aquam densatur, acidum nitrosum in calce plumbi latens in sua resolvitur principia. Calx, nunc partim oxygenio spoliata & in metallum reducta, trahit in se oxygenium acidi nitrosi, mox iterum cum gas hydrogenio in aquam coeuns. Basis acidi nitrosi, nullam offendens materiem, quacum unionem iniret, præter caloricum, nunc a decomposito aëre inflammabili vinculis suis liberatum, saturatur igitur calorico, formamque induit aëris nitrosi. Quum itaque in hoc processu gas hydrogenium, condensando sese cum aëre vitali calcis plumbi & acidi decompositi nitrosi, liquorem aquosum format, hinc intelligitur, nullum in apparatu remanere potuisse & expectandum fuisse gas aliud, quam nitrosum. Calx plumbi, hac ratione omni privata aëre vitali, forma comparet metallica.

Tandem adhuc examinanda restant argumenta, desumpta, a productione sulphureti potassæ (hepatis sulphuris) ex sulphate potassæ (tartaro vitriolato); sulphuris ex acido vitriolico; & phosphori ex acido phosphori; in aëre inflammabili inclusis, admisso in excipulum igne solari lentis vitreae ope concentrato.

Quemadmodum Cl. Priestley reductione oxydorum metallicorum in aëre inflammabili præsentiam phlogisti in metallo, illiusque absorptionem demonstrare annis est, sic quoque illud ipsum phlogiston ad producendum phosphorum vel sulphur ex acido phosphori & vitrioli necessarium, aëremque inflammabilem verum esse phlogiston, experimentis docere conatur. Ex illis, quæ superius in corollario Nro. 4. enarravimus, haud difficile erit, explicationem dare productionis sulphuris vel phosphori ope gas inflammabilis accensi, dum modo reflectere velimus, compositione basium istius aëris & oxygenii, quod partem constitutivam illorum acidorum, sulphurici videlicet & phosphorici, constituit, enasci aquam. Hinc sponte liquet, acidum sulphuricum, suo privatum oxygenio, siveque in sulphur conversum, concrescere debere cum soda in sulphuretum sive hepar sulphuris. Quod attinet genesis sulphuris ex acido vitriolico mediante aëre inflammabili, explicationem dedimus, ubi de eodem experimento a Cl. Kirwan adducto sermo fuit. Generatio phosphori iisdem innititur circumstantiis. Basis illius privata oxygenio, interventu aëris inflammabilis, quocum in aquam densatur, calore volatilis reddita, obducit floccorum phosphori formâ parietes internas campanæ. In omnibus his casibus gas hydrogenium majorem minoremve patitur imminutionem, pro diversitate quantitatis aquæ ex combinatione oxygenii enatae.

Ast phosphorum non esse substantiam simplicem, concludit Cl. Priestley (*Trans. phil. T. LXXV. pag. 7 — 20.*) ex notabili illa quantitate gas carbonici, quæ, inflammando phosphorum in aëre vitali, obtinetur; quodque combinatione istius aëris cum phlogisto generaretur, quum nemo plumbaginem aut carbonium ipsi inesse phosphoro, tam facile admittere posset.

Si Cl. Priestley aërem, post deflagrationem phosphori residuum, propterea, quod tincturam heliotropii rubro tingebat colore, turbabatque aquam calcis, gas acidum carbonicum salutaverit, valdopere erravit, quoniam acidum in hoc experimento enatum phosphoricum, inquinans hunc aërem, memoratos effectus producit. Quamdiu igitur evidentissimis experimentis non demonstratur, sedimentum aquæ calcis non fuisse phosphatem calcareum, tam diu licebit gas acidum carbonicum in dubium vocare, eoque magis, quum Clarissimi viri Cavendish & Gren, inflammando phosphorum in aëre vitali, nil gas acidi carbonici observare protuerunt.

Sed nec sulphur ad classem substantiarum simplicium referendum esse censet Cl. Priestley ab experimento, ubi ex miscela sulphuris & oxydo hydrargyri lutei, acido vitriolico confecti (turpetho minerali) in foco lentis vitreæ gas acidum sulphuricum generatur, principio inflammabili ex sulphure evoluto imprægnatum. In antecessum jam observavimus affinitatem oxygenii cum sulphure, hinc intelligitur origo istius gas acidi sulphurici in experimento hoc producti. Basis enim aëris vitalis vel oxygenium in calce hydrargyri contentum, uniendo se cum sulphure, hoc in acidum convertit, quod calorico saturatum, habitum induit fluidi aërei.

Pergit autem Cl. Priestley: si nulla in processu hoc adesset substantia, affinitate gaudens cum aëre vitali, sulphur, unitum cum oxygenio calcis hydrargyri, acidum suppeditasset sulphureum, non autem gas ejusdem nominis. Hoc igitur idem principium foveat, quod inflammabilitatem aëris hydrogenii producit, videlicet phlogiston, necesse sit, quod & inde eluceret, quia in experimento illo, ubi minor quantitas sulphuris respectu

tur-

turpethi mineralis erat, primo aër acidus sulphureus, tandem vitalis in conspectum prodibat, postquam nempe sulphur omni privabatur phlogisto.

Phænomena hæc recte confirmant veritatem principiorum theoriæ nostræ. Major enim aderat in calce hydrargyri oxygenii quantitas, quam qua ad convertendum sulphur in acidum opus erat; hinc illa superflua portio aëris vitalis in fine operationis conspicua. Nullus autem video, qua ratione Cl. Priestley præsentiam phlogisti in aëre acidi sulphurici experimento isto evincere conetur. Multa fane præstisset, si illam, non per hypothesim, sed evidenter potius experimentis in sulphure prius demonstrasset.

Non majoris ponderis est produc<sup>tio</sup> gas acidi sulphurici in experimen<sup>to</sup> cum sulphate cupri (vitriolo cæruleo) foco lentis vitreæ intra gas hydrogenium exposito; quod experimentum Cl. Priestley adducit, ad probandum, principium phlogisticum in aëre inflammabili latens, uniendo se<sup>re</sup> cum acido vitrioli, componere aërem acidum sulphureum. Sed quid? si idem aër absque ulla additione substantiæ phlogisticæ dictæ generatur. Ipse enim Cl. vir experimentum enarrat in opere suo *experiments and observations. T. V. Sect. 22.* ubi sulphas cupri per se, sine addito, destillatum ex retorta vitrea, primum aërem vitalem, & tandem aërem acido-sulphuricum largiebatur. Unde hic phlogiston, ad formandum aërem hunc adeo necessarium visum? Cuprum latet in sale isto forma oxydi, consequenter schola etiam Stahliana assentiente, phlogisto destitutum. Sequitur igitur, illud in acido sulphurico hærere, quod autem demonstratum non est, quoniam ad explicandam genesim aëris acidi sulphurici Cl. Priestley vel sulphur vel gas hydrogenium in auxilium vocat.

Sic

Sic jam, ni fallor, sufficienter respondimus ad argumenta & dubia Cl. Priestley, nunc & Cl. Harrington objectionem, quam ceu ex valentissimis unam pro existentia phlogisti & annihilatione theoriæ nostræ proposuit, in examen revocare debemus. (*A letter addressed to Dr. Priestley, Cavendish, Lavoisier, and Kirwan; endeavouring to prove, that their newly adopted opinions of inflammable and dephlogisticated airs, forming Water; and the acids being compounded of the different kinds of air, are fallacious.* By Robert Harrington. M. D. London MDCCCLXXXVIII. pag. 103.)

Argumentum hoc desumptum est ab experimento a Cl. Priestley (*Experim. and observat. T. IV. Sect. XV.*) instituto, quo constat, aërem inflammabilem odorem phosphoreum spargentem produci, quando oxydum plumbi rubrum, acido phosphori mixtum, calori candelæ ardoris exponitur. Hanc aëris productionem secundum theoriam antiphlogisticaam nullatenus explicandam, asserit Cl. Harrington, quoniam in processu hoc desideratur principium illud, unde originem trahere posset gas hydrogenium; prout etiam & calx plumbi & acidum phosphori nullum aliud largiri possunt fluidum aërisiforme, præter oxygenium, de quo tamen nec vestigium comparet.

Ut dilucide ad argumentum hoc respondeamus, animadvertendum est, Cl. Priestley acidum phosphoricum in experimentum traxisse, quod spontanea lentaque inflammatione vel combustione in aëre libero obtinetur. Scimus autem, phosphorum aërem ambientem decomponere, notabilem quantitatem illius oxygenii una cum aqua in aëre soluta absorbere, sive in acidum converti, ponderosius phosphoro. Aqua ex aëre attracta commercium inter hunc & phosphorum, nedum perfecte in acidum conversum, impedit, & sic etiam perfectam illius saturationem cum oxygenio. Est

igi-

igitur acidum hoc nunquam purum, sed majore minoreve quantitate phosphori inquinatum. Ponatur acidum hoc, methodo Priestleyana acquisitum, & patella vitrea exceptum in balneum arenæ. Calefactum calore sensim administrato, acidum hoc flamma ardet candida; in documentum, illud adhuc phosphorum in se fovere. Ex his patet, Priestleyi acidum phosphoricum non fuisse purum, seu oxygenio perfecte saturatum, verum etiam notabilem in se habuisse aquam ex aëre absorbtam. En! jam fontem, generando gas hydrogenio aptum. En! etiam substantiam illam, phosphorum scilicet in acido contentum, pro aquæ decompositione necessariam. Acidum phosphoricum itaque nedum oxygenio perfecte saturatum, imo ipse phosphorus in illo contentus, gaudens affinitate cum aëre vitali, decomponit aquam, ipsius oxygenium attrahendo, secum combinando, liberat alteram aquæ basim calorico junctam, forma aëris inflammabilis. Quod odorem phosphoreum attinet, hic a portiuncula phosphori, vi caloris volatilis facti & suspensi in aëre obtento inflammabili, repeti omnino debet. Oxydum vero plumbi, num forma metallica reductum fuerit nec ne, frustra in Priestleyi opere quæsivi. Mihi saltem videtur qua oxydum remansisse, utpote basi aëris vitalis aquæ decompositæ & acido phosphori oxygenio jam saturatissimo imprægnatum, inde forte istius calcis color fuscus a Priestleyo etiam observatus. Quod autem in experimento hoc nec vestigium gas oxygenii comparuerit (expectandum tamen, ut urget Cl. Harrington, si quid oxygenii calx plumbi continuisset) perbene congruit cum data nostra theoria, eamque confirmat. Utique nulla est ratio, cur calx plumbi oxygenium suum, igne violentiori liberandum, dimitteret in gradu caloris flammæ candelæ.

Ad pulcherrimum novumque jam propero inflammationis phænomenon, a Cl. Westrumb detectum, & in *annalibus chemicis Cl. Crell ad annum 1790.* T. 1. pag. 1. descriptum. Enī metalla, multæque sublantiæ, alias phlogisticæ dictæ & in tenuissimum pulverem redactæ, momento, quo in gas acidum muriaticum oxygenatum, vulgo dephlogisticatum dictum, immituntur, scintillant, inflammantur, & in stellulas variis ludentes coloribus convertuntur. Phænomenon hoc singulare & elegans adeo magni momenti videbatur Cl. Westrumb contra theoriam antiphlogisticam, ut in libro ante citato pag. 109 multa in medium protulerit argumenta, quibus non tantum phlogisti existentiam evincere, verum & principales systematis nostri canones refellere conatur.

Cl. Westrumb in ea versatur opinione, gas acido - muriaticum oxygenatum, destillatione cum magnesio obtinendum, oxygenio ditius non esse eodem vulgari; imo potius phlogisto privatum, quam opinionem autem nullo certo vel evidente experimento probavit. Mirari maxime debemus; virū adeo sagacem sententiam tam parum verisimilem amplexum fuisse, atque eo magis mirari, si oculos convertimus in experimenta, quæ præsentiam oxygenii in vapore isto acido - muriatico evincunt, atque tantæ evidentiæ sunt, ut nisi insuperabili præjudicata opinione obsideamur, hanc agnoscere teneamur. Superfluum sane esset, multa hic enumerare experimenta, quæ abundantiam oxygenii, e magnesio simplice destillatione obtinendi, docent. Hoc autem oxygenium ab acido muriatico, durante illius destillatione cum magnesio, absorberi, ostendunt proprietates istius acidi, quas acquisivit novas, singulares, sive odorem, volatilitatem, miscibilitatem cum aqua, sive combinationes cum potassa vel soda species. Muriates oxygenati, a Cl. Berthollet primo parati, instar nitri detonant. Sed quid?

si illud ipsum oxygenium, omnibus suis ditatum proprietatibus, ex salibus his sola destillatione expellatur, docente Berthollet (*Journal de phys. septemb. 1788. pag. 222.*) cuius eximiæ puritatis gradus eudiometricus esset 400 — 430, explorante Cl. Ingen-Housz (*Nouvelles exper. & observ. sur divers objets de physique à Paris 1789. Tom. II. pag. 489.*) Et si porro aëris vitalis sponte evolvatur magna quantitate ex acido tali oxygenato radiis solaribus exposito, prout id Cl. Berthollet in *Mem. de l'Acad. de sciences ad annum 1775.* demonstravit; an ultra de illius præsentia dubitare licet? His addo experimenta ab amicissimo Tihavsky in eum communicata, quibus constat, oxygenium cum effervescentia extricari, si acidum muriaticum, supra magnesium destillatum, calci vivæ affundatur & calori exposatur. Observavit ille præter alia, quæ ipse, otium nactus, publici juris faciet, gas oxygenium facile absorberi ab acido muriatico vulgari, agitando id in vase per aliquot horæ minuta.

Demonstrata jam, ni fallor, ad evidentiam oxygenium ingredi compositionem gas acidi-muriatici oxygenati, examinare ordine, animus est, Westrumbii argumenta, quibus probare studet, inflammationem metallorum cæterarumque substantiarum, uti phosphori, sulphuris &c. provenire non posse a calorico, quo gas acidum muriaticum gauderet.

Primum illius argumentum deflumtum est ab experimento, quod gas acidum muriaticum oxygenatum flammam cujuscunque substantiæ ardentis in illud immissam extinguat, licet metalla aliaque corpora phlogistica in illo inflammantur.

Non negandum, flammam in gas isto extingui, quando hæc, observante Cl. Pelletier (*Journal de phys. Juin 1785. pag. 391.*) subito immergatur. Lente autem immissa igne ardet viridi, & vividiore, quantumvis ut vidit Cl. Fourcroy (*Annales de chimie T. IV. pag. 251.*) flamma contractior magisque elongata sit, quod idem ipsum Cl. Tihavsky confirmat. Hinc concludo, Cl. Westrumb aut neglexisse Pelletieri observationem, aut vapore acidi muriatici usum suisse aëris speciebus inquinato, alendæ flammæ ineptis. Notuni namque est, primas portiones aëris, ex magnesio expulsi, constare ex gas azotico & acido carbonico, quod præter Cl. Ingen-Housz (*Exper. sur les végétaux. Tom. II.*) ipse etiam Cl. Westrumb (*Kleine chemische Abhandl.*) destillando magnesium, obtinuit.

Secundum argumentum in eo consistit, quod basis acidi muriatici in tabula affinitatum oxygenii, a Cl. Lavoisier elaborata, primum occupet locum, proinde ob hanc affinitatem, qua pollet majore, quam cum omnibus aliis substantiis, oxygenium ab acido isto nec separari, nec inflammationem producere possit. Hinc concludit etiam, acidum muriaticum oxygenatum non majore gaudere oxygenii quantitate, quam vulgare; esse igitur acidum dephlogisticatum calorici ope in gas mutatum.

Cl. Autor non videtur, dum hoc proposuit argumentum, secundum mentem Lavoisieri, distinxisse affinitatem oxygenii cum basi acidi muriatici ab affinitate ejusdem cum acido ipso. Licet oxygenium a basi acidi muriatici hucusque separare non potuerint chemici, nihilominus tamen adeo laxè adhæret ipsi acido, ut in apricum sponte evolvatur, hinc a multis substantiis, quibuscum affinitatem majorem exercet, decomponendum. Etsi hæc affinitatis tabula, ut ait Cl. Westrumb, phænomenis inflammationis

di-

diverſarum ſubſtantiarum in gas acido muriatico oxygenato non ſemper cor-  
reſpondet, an non inde edocemur, naturam in operibus & phænomenis  
ſuis proprias obſervare leges, reſpuendo noſtras artificiales? Verum an ta-  
bula Thunbergii de diuersa quantitate phlogisti in metallis rem melius expli-  
cat? æſtimando quantitatē majorem phlogisti, in corpore contenti, a vividi-  
ore inflammatione in gas acido muriatico oxygenato, antimonium, regulusque  
arſenici primum tenerent locum; hæc tamen metalla, ſecundum Cl. Thun-  
berg (*Difſert. de diuersa quantitate phlogisti in metallis. Upps. 1780.*) expe-  
rimenta medium in ſerie metallorum, ratione quantitatis phlogisti poſito-  
rum, occupant locum. Quid igitur hoc allatum argumentum valeat, ad  
demonstrandum, acidum muriaticum oxygenio non pollere, nullus video.

Tertiū argumentum, ad impugnandam prætentiam oxygenii in gas  
acido muriatico, deſumtum eſt ab illius concretione vel congelatione in  
maſſam crystallinam, frigoris artificialis ope. Et quoniam aër, post con-  
gelationem gas acidi muriatici, flammæ alendæ ineptus ipſi videbatur, con-  
cludit inde, aut oxygenium, privatione calorici, in corpus mutari ſolidum  
aut ipſum gas non plus continere aëris vitalis, quam acidum muriaticum  
vulgare.

Observavit Cl. Auctor, gas acidum muriaticum oxygenatum jam  
in calore 40 graduum thermometri Fahren. concreſcere in crystallos. An  
talis concretio, frigore artificiali producta, congelationis nomen meretur?  
Sed demus. Quid inde? Utique abſurdum non eſt, baſim aëris vitalis fi-  
ve oxygenium abire cum aliis ſubſtantiiſ in maſſam ſolidam. Quod vero  
illud condensatum, & in minimum poſſibile volumen reductum gas oxyge-  
niū attinet, in gas acido muriatico hærens, facileque separandum, id in-

terstitia crystallorum occupare potest, quin congelatum dici possit. Ab isto in crystallis hærente oxygenio forte ratio petenda subitæ deliquescentiæ crystallorum, tangendo vas vel solis digitis, imo expansionis crustæ salinæ in gas, admoto videlicet calore. Respectu autem proprietatis aëris, post congelationem acidi muriatici superstitis, flamمامque extinguentis, vix dubii hæremus, illam ab inquinamento gas azotici & acidi carbonici dependere. Constat enim experimento Cl. Priestleyi (*Exper. and observ. Tom. IV. Sect. 26.*) vapores acidi muriatici vulgaris aërem communem non vitiare, licet per plures menses & in calore balnei arenæ in contactu cum illo fuissent.

Absolutis his argumentis, quibus Cl. Westrum præsentiam oxygenii in gas acido muriatico, destillatione cum magnesio acquisito, controvertit, jam proprius attingit singularia illa phænomena inflammationis diversarum substantiarum, in vapore isto acido muriatico oxygenato observata, interrogando, an inflammations hæ exinde explicari possint, quod oxygenium, deserens basim acidi muriatici, mox corpora inflammabilia aggrediat, metallica in calces, phosphorea sulphureaque in acida convertens, quo ipso momento materia caloris gas acidi muriatici, lucis flammæque forma, erumpat? Anne vero etiam ad aërem externum, momento operationis in vas irruentem, recurrere opus sit, sicque sufficiens tam oxygenii quam calorici copia adferatur? quod autem vix locum habere posse afferit.

Difficile sane explicatu forent singularia hæc inflammationis phænomena, si lucis flammæque fons tantum & unice in calorico illo consisteret, quod, secundum mentem auctoris, cum acido aëriformi conjunctum est. Ast longe ditionem agnoscimus fontem cum Cl. Lavoisier (*Elem. de chim.*

T. I. pag. 103.) in gas oxygenio, quod condensatum, & in minimum possibile volumen reductum acido inest muriatico, tota simul calorici quantitate imbutum, quo in statu suo aëriformi elasticō abundanter gaudet.

Hæret insuper oxygenium hoc tam laxe in gas acido muriatico, ut vel solaribus radiis sponte evolvatur. Hinc intelligitur, illud a diversis substantiis, quibuscum affinitatem habet, facile esse separandum, decomponendumque. Si jam ad conditiones illas, quas ipse Cl. Westrum̄ ad inflammationem substantiarum in gas acido muriatico oxygenato necessarias statuit, animum advertamus, habito respectu ad attractionem inter oxygenium & substancias inflammandas, explicatio nostra magnum attingit probabilitatis gradum. Sunt autem conditiones hæ sequentes. 1) requiritur gas illud, quod sub finem destillationis producitur. 2) calor 60 vel 70 graduum therm. Fahren. 3) ut substanciæ inflammantæ in pulverem tenuissimum sint redactæ. Videmus sic gas oxygenio saturatissimum, nam recte sub finem destillationis largitur magnesium aërem vitalem abundantissimum, purissimumque; porro determinato illo caloris gradu vires attractrices corporum intendi, imminuendo particularum minimarum cohæsionem vel aggregationis formam. His adde, comminutione substantiarum in pulvere in substancialissimum, multiplicari illarum superficiem, minimasque moleculas citissime calore perfundi, sicque etiam affinitatem cum oxygenio accelerari.

Sic jam sponte fluit explicatio inflammationis & substantiarum metallicarum, aliarumque, quas Cl. Westrum̄ vidit in gas acido muriatico oxygenato diversimode inflammari. Oxygenium in gas nostro laxe hærens, aggrediens particulas aut metallicas aut sulphureas, illas in calces, has in  
acida

## DE PRINCIPIO

acida convertit. Solvitur sic synthesis oxygenii in contactu positi, cum evolutione calorici, cuius ope particulæ substantiarum inflammabilium jam carentes oxygenium, ut diximus, condensatum & in minimum volumen contractum, expandunt, evolvuntque. Addas, illud ipsum gas oxygenium a calorico magis magisque expandi, utpote quod caloricum minore quantitate hic a combinationibus recens productis, videlicet muriatibus metallicis vel acidis, absorbetur. Inde illud elegans spectaculum Westrumbianum phænomeno inflammationis metallorum in purissimo aëre vitali a Clarissimo naturæ investigatore, amicissimo Ingen-Houszio primum observato, per quam simile. Inde ab illa continua oxygenii decompositione & evolutione calorici multi, tantus luminis splendor & coruscatio, variis ludens coloribus, pro diversitate indolis corporum, scintillantisque metalli in stellulas carentes conversio. Iisdem principiis innititur etiam inflammatio, si carbonibus in pulverem redactis, primo carentibus, tandem ad gradum 12 therm. Reaum, refrigeratis, acidum nitricum concentratum, sive oxygenio saturatum, affundatur; quod experimentum Cl. de Morveau, præeunte Proust, in academia Divionensi saepius reiteravit. Ex his intelligitur jam, metalla, post inflammationem in oxyda conversa, solubilia fieri in acido muriatico, liberato ab oxygenio, sive ad statum illum reducto, quem Cl. Westrumb phlogisticatum vocat. Inde illi enati muriates cupri, plumbi, zinci &c. Sicubi autem gas acidum muriaticum, post inflammationem corporis injecti, cum hoc corpore nullam inire unionem potest, supermanet tunc sub forma acidi muriatici vulgaris, mixti saepe cum fluidis elasticis aliis sub inflammatione productis.

Et

Et sic explicavimus hanc inflammationis speciem absque ullo aëris externi, oxygenium calorisque materiam advehentis, auxilio. Nunc videamus objectiones, quas contra hanc theoriam obmovit Cl. Westrumb.

Prima est, quod in volumine 12 vel 16 pollicum cubicorum gas acidi muriatici oxygenati tantum calorici aedesse non possit, quantum ad candescientiam corporum requireretur, quantumvis metalla antimonii & arsenici, sulphatesque antimonii &c. in minori adhuc volumine istius gas inflammentur.

2. Non omnes portiones gas acidi muriatici oxygenati, licet etiam multum calefacti, inflammationi æque bene inservire; sed illud præcipue, quod sub finem destillationis prodit, phlogistoque, ut ait, omnino orbatum est.

3. Substantias etiam in memorato gas nec æquali facilitate inflammari, nec eundem ignitionis calorisque gradum monstrare, quod tamen locum obtineret, si phænomeni inflammationis ratio in calorico latente & evoluto sita esset.

Quum itaque Clarissimo Westrumb nec caloricum, nec oxygenium, nec utraque simul sumta, sufficere viderentur, ad phlogiston recurrit, quod substantiis inflammabilibus metallicisque eruptum, combinatumque una cum calorico, has inflammaret, lucemque produceret.

Ad primum argumentum respondemus, Cl. virum non considerasse quantitatem absolutam calorici, qua gas oxygenium condensatum unitum-

que cum acido muriatico aëriformi gaudet; unde ipsi insufficiens visa est calorici quantitas in adducto volumine gas acidi muriatici contenta. Sed & tunc licet ab illo petere experimenta, quibus demonstraret, 12 vel 16 pollices cubicos istius gas carere illa calorici quantitate, inflammatis corporibus necessaria, & quidem jure majori, quoniam quantitates absolutæ calorici, corporibus infaxi, hucusque desiderantur.

Ad secundum argumentum animadvertisimus, rationem, cur non omnes gas acidi muriatici portiones inflammationem eodem modo producant, latere in eo, quod gas, initio destillationis evolutum, tum aëre azotico, tum fixo inquinatum est. Hinc patet, inflammationem in tali gas minus bene succedere debere, quam in illo, quod sub finem destillationis, maxima quantitate oxygenii purissimi imprægnatum, obtinetur.

Quod tertium argumentum attinet, id facile etiam solvitur, considerando, gas acidum muriaticum plus minusve oxygenii continere posse, porro diversum nūsum vel varium attractionis gradum tam oxygenii, quam acidi muriatici aëriformis, erga diversas substantias, tandem etiam diversum gradum temperaturæ ad inflammationem necessarium. His adde majorem minoremve calorici evoluti absorbtionem a substantiis combustionē enatis, diversisque capacitatis absorbendi calorifici præditis.

Coronidis loco adducit Cl. Westrum inflammationem ammoniacæ in gas acido muriatico oxygenato, metallorumque fulminantem deflagrationem in gas isto, salis alcalini volatilis & carbonatis ammoniacalis æquibus portionibus imprægnato. Præmissa istorum phænomenorum explicacione secundum theoriam antiphlogisticam, afferit, nos per hypothesisum assumere de-

debere, salem alcalinum volatilem decomponi ab oxygenio in gas azoticum & hydrogenium, quod, uniendo se cum oxygenio gas detonans compone-ret, & addita substantia metallica vim fulminantem exerceret. Tum quæ-rit: cur gas acidum muriaticum oxygenatum, unitum cum sale alcalino vo-latili, fulminantem vim non exerat? Cur ad effectum hunc producendum carbonate ammoniacali & metallo opus sit? Tandem quare in experimento, cum ferro vel zinco instituto, nullum exsurgat gas detonans, quum tamen metalla hæc, soluta in acido muriatico, aërem inflammabilem largiantur?

Phænomena hæc explicaturi animadvertere debemus, Cl. Berthollet (*Mem. de l' Academ. Roy. de sciences* 1784. pag. 316.) experimentis probasse, salem alcalinum volatilem constare ex principio azotico & hydrogenio, ut igitur decompositio istius salis in gas acido muriatico per hypothesim a nobis non assumatur. Imo docuit Cl. Fourcroy, miscendo gas ammoniacale cum illo acidi muriatici oxygenati, utraque hæc fluida momento contactus decomponi, & inflammam erumpere (*Ingen-Housz Nouvelles experiences. T. II. p. 478.*) Inde patet, ammoniacam, jam in temperatura aëris atmo-sphærici volatilem, & in majori aliquantum caloris gradu in fluidum aéri-forme transmutandam, decomponi debere, si cum oxygenio in gas acido muriatico contento in contactum venit. Quum autem decompositio lente hic procedat, intelligitur etiam, cur inflammatio sine fragore & fulmine absolvatur. Quæstio secundo loco posita thesim nostram non ferit. Ad tertiam autem quod attinet, videlicet cur inflammatione ferri & zinci nul-lum in experimento memorato produceretur gas hydrogenium, responde-mus, quia & aqua in hydrogenium resolvenda, & substantia illam decom-ponens desunt. An non potius hæc ipsa quæstio illorum sententiam infrin-git, qui gas hydrogenium ipsis metallis essentialiter inesse, statuunt, uti-

que hic evolvendum ab acido muriatico, si verum esset, quod deprædicant?

Nec majoris momenti est objectio Clarissimi Westrumb, dum ait, ferrum, in gas acidum muriaticum oxygenatum injectum, & in fundo vasis medias inter aquas adhucdum candens, nullum producere aërem inflammabilem, vel detonantem; exspectandum tamen, si gas hydrogenium, ut potest productum aquæ, unionem iniaret cum oxygenio gas acidi muriatici.

Hæc observatio egregie confirmat theoriam nostram de origine aquæ. Nullus enim chemicorum unquam afferuit, aquam a muriate ferri in suas resolvi partes constitutivas, dum illum etiam Cl. Auctor forma crystallorum invenit. Hinc sponte patet, nullum in experimento hoc enaſci potuisse aërem inflammabilem, quoniam murias ferri ferrum non est.

Quod tandem Cl. viri propriam fulminantis inflammationis theoriam attinet, ostendit, ſpatium vacuum in gas acido muriatico, mutua attractione vel, ut ait, penetratione acidi muriatici & ammoniacæ enatum, repletri aëre communi, qui, mixtus cum phlogisto e metallis vel ammoniaca evoluto, mox detonando inflammam erumperet. Mirum fane, Cl. virum, hoc ut explicaret phænomenon, aëris communis accessu indigere, quem tamen, ut supra vidimus, neutiquam concedit. Utique propterea, quod oxygenii præsentiam in gas acido muriatico controvertit, licet afferat, metalli vim fulminantem non obtinere, niſi gas acidum muriaticum, mixtum cum sale alcalino volatili, aëri communi sit prius expositum. Inde autem necdum sequitur necessitas aëris communis. Fieri enim potest, ut per aperituram vasis, ſuperflua forte vel ammoniacæ vel gas acidi muriatici portio, vim

vim fulminantem suffocans, in auras primum abigatur. Etsi etiam aëris accessus per exacta & reiteratis vicibus instituta pericula demonstraretur, nil adhuc contra nostrum oxygenium, in gas acido muriatico ad evidentiam demonstratum, probaret.

Quum itaque, uti vidimus, phænomena inflammationis, a Cl. Westrumb in gas acido muriatico oxygenato observata, theoriæ antiphlogisticæ egregie respondeant, nullus video, quare ad principium phlogisticum confugiendum esset, cuius præsentia etiam his experimentis argumentisque inde desumptis egregii illius viri non melius demonstratur, quam hucusque per alia factum est. Hinc mirari satis non possum, quomodo eximius Westrumb ex experimentis suis conclusionem formare potuerat, videlicet: metalla non absorbere oxygenium, sive igne, sive acidis calcinata; fovere in se elementum igni alendo aptum, prouti & carbones, & phosphorus, & sulphur &c. porro gas hydrogenium, quacunque methodo obtentum, purissimo gaudere phlogisto, tandem aquam non decomponi &c. conclusionem, quæ, nisi immaniter fallor, ex experimentis his neutiquam fluit.

Hæc sunt, inter multa alia minoris momenti, præcipua illa experientia inde ducta argumenta, quibus existentiam phlogisti magni nominis chemici se demonstrasse arbitrati sunt; ipsissima argumenta, quæ schola Stahliana magni facit, & quasi antidota contra theoriam antiphlogisticam, imo tanquam propugnacula contra oppugnantes commendat. Ut autem & nostra & Phlogistologorum demonstrationis methodus, & probabilitas utriusque systematis unico quodam velut conspectu facilius intelligantur, præcipua ejus capita tantisper percurremus.

Facile unumquemque mecum perspecturum confido, quam vana fuerint, ab ipso Stahlio ad aureum quasi chemiæ ævum Lavoiserianum usque, omnia omnium chemicorum molimina ad præsentiam phlogisti demonstrandam. Hypothesi addicti, hypothesi obcæcati atque ex hypothesi phænomena naturæ explicantes, alias his adsignarunt causas, posterisque tradiderunt, quam quæ veræ essent. Si vel solas variabiles illas & inconstantes explicationes de calcium metallicarum reductione, præcise sibi oppositas & contradictentes, spectes; vel ipsum si phlogiston, ex omnis generis substantiæ conflatum, vix sane cum ullo corporum genere comparandum, paradoxum, verumque monstrum chemicum protheiforme, consideres: candide fateri cogemur, doctrinam Stahlianam non tantum nil profuisse chemiæ, sed potius multum nocuisse, obvelando phænomena chemica, intimius investiganda, nube quasi phlogistica. Et sicubi, certe hic nubem loco Junonis amplexi sunt chemici. Mirari igitur desinemus, plerosque illustres artis chemicæ magistros principio huic inflammabili jam validixisse in integrum. Nec juvat amplius assertum illorum, qui perhibent, multa phænomena aptius aliter explicari non posse, quam si principium tale inflammabile pro causa assumatur, ejusdemque principii præalentiam ex effectibus elucidere. Ævum enim nostrum, singula ad severiorem trutinam diligentius quam olim revocans, non facile subscribit opinioni cuicunque sola ex hac causa, quod generaliter recepta sit. Est enim corporis alicujus existentia prius demonstranda, antequam illud tanquam insequentium effectuum causa stabiliri possit. Hinc justa petitio demonstrandi propositi principii inflammabilis præsentiam. Inde etiam Phlogistologorum in demonstrando illo principio tam impensus labor, tantaque in experimentis diligentia.

Verum an recentiores phlogistologi felicius procedunt, dum verum Stahlii principium phlogisticum, in gas inflammabili tanquam ante oculos positum, prædicant? Errant valdopere, dum aërem inflammabilem vel illius radicem metallis vel carbonibus essentialiter inesse inde concludunt, quod vi ignis istis nonnunquam mediantibus substantiis producitur. Nonne aliunde originem trahere potest? Ostendimus enim, illum gigni, dum aqua, metalla humectans, decomponitur, illiusque productionem cessare, si hæc consumta est, inchoare autem iterum, si modo quidquam aquæ aut metallo aut carboni addatur. Si quid, certe hæc aquæ decompositio ad evidenciam usque plurimis indubiisque experimentis probata est. Ipsemet Cl. Priestley (*Crells chem. Annal.* 1790. St. 9. pag. 235.) repetendo decompositionem aquæ, scintillæ electricæ ope, a Clarissimis viris van Trooswyk & Deimann primum institutam, hæc non tantum confirmat, quin etiam observat, aquam ipsissimo calore resolvi in duo fluida aërea, in gas oxygenium scilicet & hydrogenium, quæ tractu temporis sponte iterum in pristinam aquam, unde orta sunt, condensantur. Corruit igitur etiam, simplici hac observatione, objectio Clarissimi Gren (*Journal der Physik* 1790. B. 2. pag. 138.) videlicet partes constitutivas utriusque fluidi aërei, decomponendo aquam per scintillam electricam, obtenti, ab ipsa materia electrica originem trahere posse. Constat porro, metalla siccissima, violentissimo licet ignis gradui exposita, aut in vasis clausis aërem purum continentibus combusta, nil ejusmodi principii inflammabilis aëris formis largiri. Si quid igitur phlogistici in metallis hæret, cur non evolvitur in utroque casu?

De aëre inflammabili, e carbonibus humidulis obtinendo, idem omnino valet. Addo, aërem hunc, si vere pabulum, ut ajunt, ignis effet,

effet, sub ipsa candescētia carbonis consumi aut destrui in integrum debere, aut saltem inflammabilitatis proprietatem perdere. At producitur tamen aër inflammabilis ille, licet in contactu sit cum carbō ignito, nec flammāti concipit, quantumvis ardeat carbo, expulso jam omni hocce aëre inflammabili. Huc facit etiam, quod carbo candens, aëre isto in integrū privatus, & aquæ immersus, gas producat hydrogenium. Undenam? nisi ab aqua hic decomposita. Illum autem ex carbō per aquam ingredientem extricari, vetat longe intensior vis expulsiva ignis, qua nil aëris ultro expellitur.

Non majore difficultate premitur argumentum, ab reductione quārundam calcium metallicarum intra gas hydrogenium defūtum, quo se ingressum istius aëris in calcē demonstrasse contendunt. Ex eo enim, quod calcē metallicæ reduci ope gas inflammabilis possint, minime fluit certa conclusio, gas hoc revera ingredi calcem. Calcē in aëre inflammabili reducuntur: ergo gas inflammabile absorbetur a calce. Quis ferat hunc illationis modum? Et ita tamen argumentati sunt vix non ex omni experimen-to. Sed deīus pro momento, tantam aëris inflammabilis quantitatē ingredi in calcem, quanta in ejusmodi experimentis consumitur; an non sponte hinc sequitur, metalla reducta pondere increscere debere, idque in ratione ponderis aëris inflammabilis deperditi? Id autem certæ refragatur experientiæ, metallū enim reductū pristinū recuperat pondus. Nos phænomeni istius rationem invenimus in productione aquæ ex basibus aëris inflammabilis calcem ambientis, & aëris vitalis in calce metallica contenti, secum invicem combinatis. Si quis autem hanc aquæ compositionem admittere recusat, rationem decrementi aëris inflammabilis, in hac reductio-nis methodo observati, reddere sine hypothesi nunquam poterit.

Quan-

Quantum valeant experimenta cum acidis phosphori vel sulphuris, intra gas hydrogenium lentis vitreæ ope calefactis, sicque in phosphorum vel sulphur conversis, patet luculenter ex supra allatis. Eadem phænomeni explanatio & hic locum habet. Basis gas hydrogenii, juncta cum oxygenio in acidis illis contento, aquam producit. Inde decrementum aëris inflammabilis & evolutio sulphuris aut phosphori. Hæc duo corpora, in aëre vitali combusta, acidam induere naturam, quin inde aër, si purus est, alterationem patiatur, experimenta extra dubium posuere. An exinde, considerando simul, aërem purum vix ac ne vix inquinari, observante etiam Cl. Gren (*l. c. Exp. XVI. & XXII.*) inferri aliud quid potest, quam, substantias has, induendo naturam acidorum, esse duntaxat larvatas, sponte iterum pristina forma comparentes, simul atque principio acidificante, sive oxygenio, interventu alterius corporis, quod majorem affinitatem cum oxygenio exerceat, spolientur? Quæ igitur Priestleyus contra simplicitatem phosphori & sulphuris obmovit argumenta, vim demonstrationis, uti vidimus, habent nullam. Recte igitur tamdiu in classe simplicium occupent locum, quamdiu illorum decompositio, frustra hucusque tentata, desiderabitur.

Nec majoris momenti etiam sunt argumenta a genesi gas acidi sulphurici petita. Phlogiston enim in sulphure latere, citra demonstrationem præsupponitur. At enim quo pacto iterum concludere licet a productione gas acidi sulphurici ad præsentiam phlogisti in sulphure? Quis chemicorum docuit unquam experimentis, principium inflammabile, cujuscunque generis id etiam sit, ad producendum fluidum aëriforme aut esse necessarium, aut ingredi synthesim gas acidi sulphurici, aliorumque. Itaque ex adamata hypothesi, acida, solvendo metalla, horum phlogiston, attrahere, li-

L

gare,

gare, neque cum ipso in fluidum aëreum abire, fluit theoria generationis & gas nitroſi, & acidi sulphurici, imo & ipsius gas inflammabilis, istorumque putatitia compositio ex acido, ad illorum generationem adhibito, & phlogisto. At nec unam nec alteram dictarum aëris specierum partem detegere poterat hucusque chemicorum industria, si puræ sunt; ut igitur una adeo parum demonstrata sit atque altera. Enī quam debili nituntur fundamento, dicani quam nullo, argumenta, a genesi gas acidi sulphurici presumpta, ad evincendum phlogisti in sulphure præsentiam.

Ex his jam intelligitur sponte, quanti ponderis sint argumenta a productione gas nitroſi, dum calces metallicas, acido nitrico imbutas, intra gas hydrogenium in metallicam formam reductas videmus. Aërem inflammabilem nil plane ad productionem gas nitroſi conferre, palam est ex illis, quæ de generatione aquæ ex basibus aëris vitalis & inflammabilis cum invicem unitis diximus. Calx metallica, oxygenii expers, apta nata est, decomponere acidum nitricum in partes suas constitutivas; quarum altera unionem init cum metallo, altera, saturata calorico, expanditur in fluidum aëriforme nitroſum dictum. Hanc acidi nitroſi decompositionem, longe adhuc apertius, quam suo loco diximus, evicit nuperis experimentis Cl. Milner (*Crells chem. Annal.* 1790. St. 8. pag. 115.) Dum enim transfire fecerat vapores acidi nitroſi per tubum ferreum carentem, ferrique scobe impletum, obtinuit & gas nitroſum & azoticum. Eodem modo tractatum gas illud nitroſum dedit sincerum gas azoticum. Inde manifeste elucet, acidum nitricum constare ex basi aëris vitalis, in experimento a ferro absorbi, & ex basi aëris azotici, cum calorico nunc juncta inque fluidum elasticum aëreum abeunte. Ut taceam, combinando gas vitale cum nitroſo exacta proportione inter se, ambo condensari in acidum nitroſum, nilque aëris re-

ma-

manere, si purissima sunt; videmus, rem adhuc magis confirmari pulcherissimo laudati Milneri experimento, ubi ammoniaca sive alcali volatile, tubum transiens carentem & pulvere magneti impletum, præter vapores nitrosum ipsum aërem largiebatur nitrosum. En! ex combinatione oxygenii, quo magnesium abunde gaudet, cum gas azotico salis alcalini volatilis decompositi produci aërem acidumque nitrosum. Quid igitur veritati magis analogum, quam ut concludamus, acidum nitricum, sicubi gas nitrosum in conspectum prodit, decomponi per substantiam intermediam cum uno ipsius principiorum majore affinitate donatam; componique rursus, quando bases aëris vitalis & nitrosum cum mutuo combinari possunt. Inde etiam intelligitur, alterationem, quam aër respirabilis ab admisto nitroso patitur, quamque ab evoluto principio inflammabili decompositi gas nitrosum repetunt, in eo consistere, quod sic aër respirabilis parte sua oxygenia, quæ, combinata cum basi nitrosum aëris, acidum nitrosum format, privetur.

Porro ex adlatis planum est, mutationem, aëri communi post oxydationem metallorum inductam, ex hypothesi adscribi phlogisto sive aëri inflammabili metallorum, neutiquam obtinendo, si hæc ab omni humido libera fuerunt. Non necessum duco, ut hic experimentis circa absorbtionem oxygenii a metallis, durante calcinatione, inhæream. Sufficit dixisse, aërem, post oxydationem superstitem, ipsissimam alteram aëris esse partem constitutivam, videlicet gas azoticum, postquam basis gas vitalis, a metallo decompositi, ab eodem absorpta est. Apodicum hoc facit argumentum, quod aër, peracta metallorum oxydatione, residuus, mixtus cum portione illa aëris vitalis, e calce metallica expulsi, pristinum, quo gaudebat ante processum, monstrat puritatis gradum, eudiometro accuratissime determinatum. An effectus hic, si quid heterogenii aut phlogistici e metallo

egressum suisset, obtineret? Anne igitur inductio ex eo, quod aër calcinatione alteretur, metalla phlogiston evolvere, legitima? Cæterum nullus video, quo fundamento, calcinationis aërem, utpote nullis phlogisto adscriptis proprietatibus præditum, nec alendæ flammæ nec reducendis metallorum oxydis aptum, salutare potuerint phlogisticum.

Jam quod productionem gas acidi carbonici, sive aëris sic dicti fixi, ex aëre vitali & phlogisto attinet, existit inter ipsos Stahlianos controversia gravis, ni fallor, ex diverso tentaminum hunc in finem institutorum effectu exorta. Demonstravit eximii Lavoisieri industria, fluidum hoc aëriforme produci ex materia carbonacea, sive carbonico, & ex basi gas oxygenii, secum invicem combinatis, & caloris materia in statum aëreum permanentem reductis. Hanc synthesim in celebratissimo opere suo (*Traité élémentaire de chimie Tom. I. pag. 108.*) tanta cum evidentia evicit, ut palam sit, rationem constantem regnare inter quantitatem carbonis combusti, inter gas oxygenium decompositum, & inter quantitatem producti gas acidi carbonici. Hanc etiam egregie confirmant pericula Cl. Gren (*Dissert. de genesi aëris fixi &c.*) scopo, num aër fixus productio aëris vitalis & phlogisti sit, instituta. Præeunte jam Cl. Cavendish, invenit celeberrimus hic vir, gas illud nec a combustionē phosphori, vel sulphuris, vel aëris inflammabilis, nec a decompositione, ut ait, aëris nitroſi per respirabilem, nec tandem a calcinatione metallorum produci, licet, ut ipse fatetur, aër respirabilis in hisce processibus cum phlogisto uniatur. Et hoc ipsa experimenta docent, nullum phlogiston ingredi synthesim aëris fixi. Quantumvis Cl. Gren ex suis experimentis longe aliam & nostræ directe oppositam conclusionem formaverit, videlicet, aërem fixum in processibus, ut ait, phlogisticis non produci, sed evolvi ac educi, utpote in corporibus jam

jam

jam essentialiter existentem, videmus nihilominus tamen, singula attentius pervolventes experimenta, recte tantum illorum corporum ope obtentum suisse gas acidum carbonicum, quibus materiam carbonaceam inesse, suadent experimenta, v. g. in illis cum candela cerea & prunis intra aërem vulgarem & vitalem ardentibus. Hinc intelligitur, quare aër fixus e vegetabilium & animalium substantiis, utpote materiam carbonaceam vehentibus, obtineatur vix non omnibus majore minoreve quantitate; porro, cur etiam in processibus cum nonnullis metallis, materia carbonacea, quam plumbaginem mineralogi vocant, inquinatis, in conspectum prodeat, uti in experimentis cum ferro, zinco, magnesio &c. in quibus præsentia plumbaginis manifeste demonstrata est. Sic videmus etiam rationem, cur aër, post calcinationem quorundam metallorum superstes, imo ipse inflammabilis, decompositione aquæ in tubis ferreis carentibus acquisitus, modo aërem fixum vehat, modo destituatur illo penitus; ut igitur hac ratione diffensus multorum chemicorum sicque etiam lites circa aëris fixi productionem in processibus, cum variis metallis institutis, optime componi possint. Sic omnino etiam aër fixus, quem Cl. Priestley, calcinando ferrum in gas oxygenio; Ill. Lavoisier ex miscela ferri & oxydi hydrargiri rubri; Cl. Hermbstaedt destillando magnesium & ferrum, & alia vice iterum zincum ferrumque, aliquique chemici in experimentis suis se obtinuisse ajunt, minime controverti potest, licet alii, eadem experimenta repetendo, eundem effectum experti non sint. Ratio consistit in materia carbonacea, qua metalla in usum tracta hic inquinabantur, illic vero carebant, proinde purissima. Opus ergo non est, aërem fixum in rubigine ferri, & in carbonate calcareo, aut inquinamentis vegetabilibus, (ergo materia carbonacea) quibus magnesium scateret, quærere.

At enim interrogat Clarissimus Gren (*l. c. pag. 80.*) nonne vero quilibet videt, meram hic adesse logomachiam? Quid enim est principium carbonum, quod alias quoque aërem inflammabilem carbonum nuncupat Cl. Lavoisier? Nonne idem sub ipso intelligit, quod nobis phlogisti nomine venit? Ut responsum Cl. Nahuys (*l. c. pag. 63.*) ad eandem objectionem Clarissimi de la Metherie meum faciam, propria illius verba adducere mihi liceat.

„ Graviter errat Cl. de la Metherie, dum putat, nos eodem modo statuere, materiam carbonaceam inesse ferro, aliisque metallis, ac „ Stahlius suum phlogiston in iisdem contineri voluit. Stahlius enim il- „ lud pro principio metalli habuit, ita ut metallum non maneat metallum, „ quando ab eo privatur, verum tum in calcem abeat; dum nos solummo- „ do statuimus, materiam carbonaceam, seu plumbaginem, interpositam „ vel mixtam esse particulis metalli, uti duo corpora distincta, quæ cer- „ tam affinitatem secum invicem habent, sed non ita combinatam cum iis- „ dem, vel tantopere necessariam, ut metallum non maneat, si mate- „ ries hæc carbonacea vel plumbago ab eo separaretur. E contrario nos „ statuimus, materiam illam a metallo separari posse, absque quod illa se- „ paratione quid de sua natura metallica amittat, imo potius eo perfectius „ metallum esse, quo magis hac substantia liberari possit. Procul igitur a „ veritate abest conclusio Clarissimi de la Metherie, & cum maxime erro- „ nea, dum dicit nomine tantum mutato, materiam carbonaceam prorsus „ convenire cum phlogisto Stahlii, cum suo aëre inflammabili, & adhuc „ magis erronea, cum dicit, nos eodem modo substantiam illam tanquam „ principium corporum agnoscere, quam Stahlius suum phlogiston. Porro „ si materies carbonacea eadem esset cum sic dicto phlogisto Stahlii, tum, „ eodem modo sulphur & phosphorum tractantes cum aëre puro, ac car- „ bones & metalla nonnulla, aërem fixum obtinere deberemus, hoc autem

„ non

„ non contingit, & hinc materies carbonacea prorsus distincta est a phlogisto Stahlii; illud enim juxta ipsius mentem in omnibus corporibus unum idemque est. “ Tantum Cl. Nahuys.

Sed videamus porro, quid discriminis inter aërem inflammabilem & materiem carbonaceam intercedat. 1) Ille, aqua calcis antea optime perlatus, supra hanc comburitur, quin cuticula in aqua calcis appareat, observante ipso Cl. Gren (*l. c. Exper. XXX.*) consequenter nullum producit aërem fixum. Carbo, ab aëre inflammabili prius orbatus, & intra aërem vitalem aut vulgarem combustus, gignit aërem fixum in ratione ponderis carbonis combusti & aëris diminuti. 2) Aër inflammabilis, mixtus cum aëre vitali debita proportione, & incensus, condensatur in aquam pondus utriusque aëris habentem, & quidem, si purissimi sunt, absque ullo aëris residuo. Carbo in eodem aëre combustus, aquosi loco fluidum producit aëriforme acidum carbonicum. 3) Aëris inflammabilis libra una decomponit, secundum Clarissimi Lavoisieri (*Traité élémentaire de chimie Tom. I. pag. 103.*) experimenta, libras 5, uncias 10, drachmas 5, & grana 24 aëris vitalis; dum e contra æquale pondus carbonis duntaxat libras 2, uncias 9, drachmam 1 cum granis 10 ejusdem aëris vitalis consumit. His pensatis, an ullo modo verisimile est, gas inflammabile & carbonium, quæ in combinatione cum uno eodemque aëre vitali fluida duò tantopere diversa producunt, adeoque etiam vel ipsa hic adeo diversa sunt, unam eandemque substantiam esse posse. Et si porro materies carbonacea eadem esset cum aëre inflammabili, quænam probabilis ratio dari potest, cur una eademque substantia, decomponendo aërem, fluida adeo inter se distincta producat, alterum gas acidum carbonicum, elasticum, acidulum, alterum fluidum aquosum, vix elasticum, omnis acidi expers. Abunde igitur patet,

## DE PRINCIPIO

tet, aërem inflammabilem & carbonium duas esse substantias a se invicem, & quidem natura & indole adeo diversissimas, ut carbonium, combustionē carbonis in aëre vitali, fluidi aëriformis, gas vero inflammabile, eadem methodo tractatum, aquosi fluidi acquirat habitum, illud ergo expandatur, hoc condensetur. Ex omnibus his jam maxima cum probabilitate, imo plena cum securitate concludamus, carbonium esse basim aëris fixi, proprietate gaudens decomponendi aërem vitalem; adeoque aërem fixum combinatione carbonii & baseos aëris vitalis certaque quantitate calorici invicem saturantium revera produci, & non evolvi.

Nonne ergo minime cum Clarissimo Gren (*l. c. pag. 85.*) afflendum est, basim tantummodo aëris fixi acidam inesse corporibus, in horum destructione secerni, materiam caloris attrahere, ligare, & sic cum ipsa in fluidum aëriforme abire? Diximus, experimentis Cl. Lavoisier innixi, pondus producti acidi carbonici æquare summam ponderum carbonis combusti & aëris vitalis decompositi. Sequitur itaque, carbonem in integrum constare ex basi illa aëris fixi acida, juncta cum basi aëris vitalis, combustionē carbonis decompositi, sicque transmutanda in fluidum elasticum, postquam calorico ambo imbuta sunt. Nullus hic datur locus, expediendi aërem vitalem aut forma lucis aut caloris, quippe quod pondus aëris fixi producti superat illud carbonis, imo in ratione ponderis aëris vitalis consumti; nec juvat amplius phænomenon hoc explicare ex hypothesi de incremento gravitatis absolutæ per jacturam corporis cuiusdam gravitate negativa gaudentis, utpote solide refutata, & rejecta. Hæc quum ita sint, palam est, oxygenium ingredi synthesim aëris fixi, carbonemque (five basis aëris fixi acida, five carbonium statuatur, perinde est) eo ipso cessare esse substantiam phlogisticam, utpote in integrum conflatam ex basi aëris fixi

solit-

solida, consequenter omni phlogisto competente proprietate destitutam. Et sic assertum tum Cl. Gren, carbonium videlicet esse principium præsuppositum constituens aërem fixum, tum aliorum, qui perhibent, aërem fixum produci ex aëre vitali & inflammabili, vel quocunque alio phlogisti genere non demonstrato, omnino refutatum esse, censeo.

Non pluris, ac omnia hactenus allata argumenta ad evincendam phlogisti præsentiam, valent illa ab inflammatione diversarum substantiarum intra gas acidum muriaticum oxygenatum deponita. Res per se loquitur, quippe quod gas illud phlogisto carere a priori supponunt, metalla vero, cæteraque corpora inflammabilia eodem imprægnata esse citra demonstrationem assument, quam hypothesim dein pro fundamento firmissimo explicandorum inflammationis phænomenorum & demonstrationum adhibent. Nos e contrario, demonstrando prius evidentissime oxygenii præsentiam in gas illo muriatico, rationem reddimus phænomenorum systemati antiphlogistico apprime conformem.

Ex hactenus dictis jam sponte etiam patet, quam vago fundamento innixa sint argumenta, quæ Clarissimus Carradori (*Annali di chimica &c. di Brugnatelli, in Pavia 1790. Tomo I. pag. 1.*) contra aquæ decompositionem in experimentis electricis Clarissimorum Virorum van Troostwyk & Deiman a principio inflammabili in fluido electrico existente desumit. Desideratis & hocce in casu experimentis præsentiam ejusmodi principii in materia electrica directe docentibus, facile solvuntur argumenta illa unica Priestleyi observatione, aquam solo calore in bina decomponi fluida aëri-formia. Refutata enim immortalis Scheelii hypothesi, caloris materiam ex phlogisto & vitali aëre constare, nullus jam chemicorum phlegiston in ca-

lorico existere contendit. Si igitur aqua solo hocce principio sponte in duo fluida aërea, puta gas oxygenium & hydrogenium, resolvatur, istudque sine interventu ullius substantiæ phlogisticæ dictæ producatur, nullus video, cur, ad explicandam gas hydrogenii genesim, ignis electrici ope ex aqua obtenti, principium inflammabile in auxilium vocandum sit. Nec majoris momenti est argumentum, videlicet: probatum non esse, fluidum electricum non posse in se continere principium gas hydrogenii. Non enim agitur hic de possibilibus. Utique si pro lubitu, & sine ulla veri specie principia fingere, atque hypothesim arripere licet quamcunque, actum est de veritate omnis analysis & synthesis diversorum corporum.

Coronidis loco paucis adhuc perlustremus Clarissimi Carradori objectionem contra alterum aquæ principium constitutivum, gas oxygenium, sequentem. Experimentis a Cl. de Fontana & Scheele institutis constare, aquam, aëri atmosphærico expositam, notabilem aëris vitalis absorbere quantitatem; hinc dubium, ait, superesse nullum, quin gas oxygenium in aqua jam antea contentum scintillæ electricæ ope tantum evolvatur, sicque aqua non decomponatur. Magni sane ponderis hæc foret objectio, si modo in diversis cum aqua institutis experimentis varia atque varia obtineretur cum aëris vitalis, tum ipsius aquæ portio, pro diversitate videlicet aquæ aut crudæ aut coctæ, sive majoris minorisve quantitatis gas oxygenii in aqua contenti. At enim docet eventus experimentorum cum aqua in tubis ferreis carentibus institutorum, summam ponderis gas hydrogenii & superpondii tubi ferrei æquare pondus quantitatis aquæ adhibitæ, docetque sic, gas oxygenium non esse principium aquæ accidentale.

Tandem ut decompositio aquæ in experimentis batavis nullum omnino relinqueret dubium, examen utriusque gas obtenti desiderat Clarissimus Carradori; tum quod gas hydrogenium, aut paludosum, aut destillatione sicca vegetabilium productum, mixtum cum aëre vitali, inflammatione acidum generet carbonicum, tum quod altera aquæ constitutiva pars, oxygenium nuncupata, verum gas nitrosum a Priestleyo diphlogisticatum dictum esse possit. Scimus ex superius dictis, unde gas acidum carbonicum in casu memorato originem trahat; ipsumque etiam gas hydrogenium, grave a chymicis dictum, multo scatere acido carbonico, nuperis demonstravit experimentis Cl. Austin (*Philos. Transact. London* 1790. vol. LXXX. Part. I. pag. 51 — 72.) Verum licet etiam status gas hydrogenii compositus evinceretur, certisque constaret etiam experimentis, gas oxygenium, qua alterum aquæ principium, indole gaudere gas nitrosum diphlogisticati ad respirationem inepti; an propterea aqua ex basibus duorum fluidorum aërisformium composita minus recte dicenda erit?

Ex omnibus hactenus allatis palam est, Phlogistologos, in conflagratis stabiliendisque præceptis doctrinæ de materia inflammabili, nimium fuisse præcipites. Longe enim alia in medium protulerunt, ulteriusque progressi sunt, quam ipsa experimenta docebant. Phænomena in suam sententiam flecentes, hæc ipsis attribuerunt substantiis, quibus phlogiston inesse, citra ullam demonstrationem, præsupposuerunt. At quantum ejusmodi doctrinæ, vagis adeo superstructæ fundamentis, fidendum sit, ostendunt tot accuratissima circa veras combinationes decompositionesque corporum instituta experimenta, totquæ aliæ functionum aëris vitalis, alterationumque, quæ corporibus inflammabilibus in aëre hocce combustis accident, suscep-tæ investigationes.

## DE PRINCIPIO

In universum autem omnia, quæ super hoc argumento diximus, longe adhuc apertius evincuntur exinde, quod phænomena chemica ipsissima, alias phlogistica dicta, ex doctrinæ Stahlianæ principiis explicari neutiquam queant; dum e contrario non tantum omnia, verum & difficillima nobis ab adversariis proposita phænomena, secundum doctrinæ antiphlogisticæ canones feliciter explanari possint. Congruunt igitur explicationes nostræ, utpote diversitati phænomenorum conformes, etiam cuni natura ipsa. Atque id ipsum est apodicticum & omni profecto exceptione majus argumentum, ad demonstrandam certitudinem systematis nostri, gravitate & dignitate conspicui. Utique hæc applicatio principiorum ad phænomena naturæ, istorumque consonantia cum theoria, securissimum omnium criterium est, ad distinguenda principia cujusdam doctrinæ vera a falsis.

Jam ergo ex utroque systemate comparato, de argumentis & demonstrationibus, quibus principii inflammabilis existentiam probare annisi sunt Phlogistologi, actum esse, ipsumque principium hoc inflammabile solis tantum in hypothesibus, analogiis & sequelis male ex experimentis deductis existere plena cum certitudine concludere licet. Palmam sibi itaque vindicet Lavoisieri sistema, quod per solidas phænomenorum in natura obviorum explicationes, accuratissima experimenta & observationes, præstantissima rapido cum successu indies capit incrementa, indiesque magis firmum reddetur.

## III.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN  
OBSERVATIONES BOTANICÆ,

Continuatæ post Coll. vol. 3. pag. 274.

## CCCCI.

SMYRNIUM PERFOLIATUM. *Lin. Syst. pag. 290.*

Smyrnium peregrinum rotundo seu oblongo folio. *Bauh. pin. pag. 154.*

*Bauh. prodr. pag. 82.*

Smyrnium Amani montis. *Dod. pempt. pag. 698.*

**C**rescit in Italia, Creta, copiose in monte Kobel prope Posonium Hungariæ a filio meo detectum, æque copiose in littorali austriaco ab expertissimo Nicolao Host. Posonii floret Majo, & semina fert Julio. Hæc sæpe per tres annos in terra morantur, priusquam germinant. Totum glabrum. Radix biennis, plerumque napiformis unciamque diametro æquans,

rarius fusiformis & tres quatuorve uncias longa, spongiose carnosa, intus albicans, foris magis sordens, parum sapida & odora. Caulis unicus, erectus, digitum vel calatum crassus, duos tresve pedes altus, superne ramosus, acutangulus, angulis membranaceo - alatis. Folia tunc radicalia nulla invenit filius, quantumvis subsequò anno in solum hujus indagationis scopum montem denuo adiisset. Radicalia folia in littoralibus quibusdam plantis expertissimus Host invenit. Sunt hæc triternata, longe petiolata; foliolis ovatis vel subrotundis & plus minus uncialibus. Folium caulinum infimum unum aliudve est ternatum; foliolis ovatis, acutis, inæqualiter ferratis. Subsequum saepe semitribulum est cum lobo medio productiore. Reliqua omnia valde amplexicaulia, ut persoliata videantur, hinc basi cordata, cæterum ovata, acutiuscula, alterna; summa magis subrotunda & tantum obsolete crenata. Petioli omnes inferne membranacei sunt, striati & amplexicaules. Folia superiora plerumque flavescent. Umbellæ pedunculatæ, erectæ, terminales & axillares, omni involucro destitutæ. Fructificatio cum charæctere Linnæano congruit. Flores flavi sunt. Fructus atri. Ut plurimum ex qualibet umbella plures umbellulæ in integrum abortant.

## CCCCII.

AGAVE LURIDA. Tab. I. Ait. kew. vol. I. pag. 472.

Certe omnibus in Europæ botanicis hortis stirps hæc obvia est sub titulo *Aloës ex Vera Cruz*; at nullibi, quoad Iciam, floruit quam elapsò anno prima vice in horto Cæfareo Schönbrunnensi, ubi duæ simul plantæ, anno hujus sæculi quinquagesimo tertio ex Hollandia huc translatæ, mense Au-

gu-

gusto scapum, proximis Aprili & Majo flores, Septembri fructus maturos dederunt, tunc una jam ex paniculæ ramis dense sobolifera, & iterum non paucos novos flores producentes. Trunco erant pedali, a foliorum reliquiis inæquali. Folia nunc marcescere incipiunt, ut brevi plantæ peritutæ videantur, congenerum more. Hæc utpote notissima non describam. Ex centro foliorum ipadix egreditur erectus, duodecimpedalis, teres, brachium crassus, glaber, e glauco virens, ipathis vagis emarcidis ovato-acutis & distantibus vestitus, superne paniculatus ex ramis inferioribus bipedalibus, superioribus successive brevioribus, omnino numerosis, patentissimis, subancipiti-depressis. Flores numerosi, fasciculati, omnes erecti, nauseole fætidissimi. Petala & germen pallide virent. Sic etiam filamenta & stylus cum suffusa pauca flavedine. Antheræ ex flavo fordent. Pollen flavet. Capsula nigra, glabra. Semina matura atra.

CAL. nullus.

COR. monopetala, supera, coriacea, ad duas tertias sexfida; tubo sexfalcato; limbi laciniis anguste oblongis, canaliculatis, obtusis, apice fornicatis, erectis.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, crassa, tubo corollæ inserta, eadem duplo longiora, patula. Antheræ lineares, longæ, versatiles.

PIST. Germen inferum, oblongum, obsolete trigonum, corolla brevius. Stylus filiformis, crassus, erectus, subtrigonous, corolla paulo longior. Stigma subcapitatum, obtusum, subtrigonum.

PER. Capsula obverse ovata, obtusa, trisulcata, coronata tubo corollæ persistente staminibusque & stylo emarcidis, trilocularis, trivalvis.

SEM.

SEM. numerosa, plana.

In tabula repræsentantur ramulus paniculæ florens, pistillum, capsula integra, eadem transverse dissecta, semen, & nova siboles ex panicula fructificante.

### CCCCIII.

MANGIFERA INDICA. *Linn. syst. pag. 242.*

Mangifera arbor. *Bont. jav. pag. 95. Linn. flor. zeyl. 471.*

Manga domestica. *Rumph. amb. vol. 1. pag. 93. tab. 25.*

Manga indica, fructu magno reniformi. *Raj. hist. 1550.*

Mao, seu Mau, seu Manghos. *Rheed. mal. vol. 4. pag. 1, tab. 1, & 2.*

Persicæ similis, putamine villoso. *Bauh. pin. pag. 440.*

Quæ in caldariis horti Cæsarei Schönbrunnensis crescunt arbores, ex insula Mauritii advectæ fuerunt, decempedales, trunco brachium crassum cum cortice cinereo. Copiose floruerunt prima vice mense Aprili & Majo, & fructum perfecte maturum dederunt Octobri; subsequis annis floruerere a Januario ad Martium. Folia modo alterna, modo opposita, modo approximata & terna, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, acuminata, integrerrima, nitida, a quatuor ad decem uncias longa, plus minus fuscunciam lata. Racemi compofiti, saepe paniculati, terminales, erecti, semipedales. Flores parvi, brevissime & crasse pedicellati, omnes hermaphroditici. Pedunculi communes rubri. Calyx dorso hirsutus ex flavo viret. Petala albida, intus pilosula, inferne tribus striis elevatis longitudinalibus luteis instructa. Glandula pallid. Filamenta & stylus albent. Antheræ sunt pur-

pus-

pureæ. Germen nitidum viret. Fructus pugni magnitudine, pauci odoris, cum virore flavescent & hic illic magis minusve rubens, carnem habet coloris & consistentiae pruni armeniaci, saporis dulcis & parumper juniperini, edulis. Nucis pallentis setæ longæ & molles per carnem penetrant. Nucleus albus cum cortice fuscescente disrupto.

**CAL.** Perianthium pentaphyllum, inferum, patentissimum; foliolis lanceolatis, concavis, acutis, ciliatis.

**COR.** Petala quinque, lanceolata, acuta, plana, calyce fere duplo longiora, patentissima, tandem semireflexa; orta ex crenis glandulæ circularis, planæ, quinquecrenatæ, & germine duplo latioris.

**STAM.** Filamenta quinque, quorum quatuor sterilia & brevissima, quintum ex latiore basi subulatum, erectum, longitudine corollæ, ortum infra germen ex basi glandulæ. Anthera didyma, incumbens.

**PIST.** Germen globosum, glandulæ impositum. Stylus subulatus, erectus, longitudine filamenti fertilis, huic oppositus, dum magis lateraliter ex apice germinis oritur. Stigma simplex, acutum.

**PER.** Drupa magna, subovata, obtusa, in uno latere notata sulco longitudinali incompleto.

**SEM.** Nux ovalis, compressula, magna, tota longe & molliter setosa, interne glabra membranaque scariosa propria & separabili induita, subunivalvis, unilocularis. Nucleus ovalis, obtusus.

## CCCCIV.

**IRIS FLAVISSIMA.** *Pall. it.* 3. *pag.* 715.

*Iris* foliis ensiformibus, caule bifloro. *Gmelin. sibir.* *pag.* 31. *tab.* 5. *fig.* 2.  
*Iris humilis angustifolia lutea*, testa seminali rostrata alba. *Annan. ruth.*  
*pag.* 101.

Sponte crescit in Sibiria. Apud nos sub dio floret Majo & fructescit Julio. Radix nodosa & perennis cespitose plures producit scapos semipedales, erectiusculos, teretes, glabros, semper bifloros, ita ut flos alteri ad paucos dies succedat. Folia radicalia pauca, disticha, basi scapum vaginantia, ensiformia, acuta, angusta, glabra, subfalcata, glauca, scapo breviora. Spathæ ad flores oblongæ, acutæ, conniventes, unciales, pallide virentes cum oris pallidis. Petala tria alterna ex ungue lato sunt obverse ovata, obtusissima, subtus fulcescentia, intus longa barba saturate lutea instrueta, ungue erectiusculo, lamina patentissima. Alia tria angustiora & ungue angustiori prædita, tota eriguntur, una cum petalorum priorum facie interna & stigmate uniformiter flaventia. Antheræ sunt atroviolaceæ. Stigmatis laciniæ petaloideæ sunt, semibifidæ, acutæ, & erectæ. Germen pallide virens, utrinque attenuatum, pedicellatum, obtuse trigonum, nitidum. Capsula oblonga, acuminata, straminei coloris, glabra, uncialis, trilocularis, trivalvis. Semina plura, subrotunda, badia.

CCCCV.

## CCCCV.

IRIS TRICUSPIS. *Linn. syst. pag. 89. Thunb. diff. pag. 14. num. 15.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos in tepidario floret Aprili & Majo. Bulbus subrotundus, avellana minor. Folium radicale unicum, bipedale, lineare, acuminatum, glabrum, planum, basi vaginans, obscure nervosum, flaccidum, hinc terræ incumbens. Aliud folium vix quadriunciale & tandem emarcidum priori supponitur. Scapus lateralis, plus minus pedalis, teres, erectus, geniculatus, glaber, viridis, simplex, ad genicula spathis vaginantibus viridibusque vestitus. Flores terminales successive duo, erecti, inodori, diversæ magnitudinis, quandoque diametri biuncialis. Spathæ quadrivalves; valvulis duabus exterioribus maximis, acuminatis, convolutis, virentibus; duabus interioribus angustissimis, parvis, albidis; pro quolibet flore duæ. Pedunculi uniflori, longitudine spatæ. Petalorum alterorum trium unguis erecti, canaliculati; foris virides cum maculis fuscis; intus e viridi flavescens cum similibus maculis, hirsuti, ad apicem violacei barbatique. Laminæ horum petalorum sunt subrotundæ, obtusæ, albidae, patentissimæ, intus subnervosæ, foris ad eosdem nervos punctis purpureis adspersæ. Petala tria interiora sunt erecta, unguibus priorum petalorum paulo dumtaxat longiora; ungue canaliculato & vidente cum punctis fuscis; lamina alba violacea punctata, trifida, lacinias lateralibus parvis & semiovatis, intermedia sublineari & superne spiraliiter saepius intorta. Filamenta pallida, inferne coalita in unum corpus columnare erectum stylumque includens. Pollen flavus. Germen teres, inferum, glabrum, obtuse trisulcatum. Stigmata pallida, erecta, semibifida, unguibus petalorum paulo longiora.

Floruit eodem tempore hujus Iridis varietas scapo subramoso, cæterum priori simili; sed flores multo minores erant; petalis tribus majoribus acutis, reflexo-dependentibus, sordidissime purpureis cum punctis saturatioribus; petalis interioribus flavis & ex radio punctatis; stigmate sordide pallido. Anne huc referri posset Vieusseuxia spiralis *de la Roche spec. pag. 31. tab. 5.*

Alia speciosa varietas flore majore exhibetur in figura prima tabulae nonæ hujus operis, petalis exterioribus amplis albisque cum macula supra unguem saturate violacea ex origine flavente.

## CCCCVI.

## MELANTHIUM UNIFLORUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Aprili, & fructum fert Junio. Totum glabrum. Bulbus subrotundus, avellanæ circiter magnitudine, tunica fulca glabraque vestitus. Folia radicalia plus minus quatuor, vaginantia, sublinearia, acuminata, inferne erecta; dein flaccidiuscula & reflexa, integerrima, plana, utrinque nitida, longiora vix pedalia. Scapus teres, erectus, parumper flexuosus, longitudine foliorum. Flos solitarius, terminalis, erectus, unciam longus. Petala externe basi flavent; cæterum rubra; intus lutea cum unguibus saturate badiis. Filamenta basi badia, superne lutea sunt. Antheræ luteæ. Germen viret. Styli albent. Stigmata flavescent. Capsula cinerascit.

CAL.

CAL. nullus.

COR. Petala sex, inferæ, lanceolato - linearia, acuta, plana, æqualia, patula, basi desinentia in unguem.

STAM. Filamenta sex, subulata, erectiuscula, petalis duplo breviora, eorundemque unguibus inserta. Antheræ oblongæ, obtusæ, suberectæ.

PIST. Germen superum, oblongum, obtuse trisulcatum, petalis duplo brevius. Styli tres, subulati, breves, patentissimi. Stigmata acuta, simplicia,

PER. Capsula longa, trigona, ad semina torulosa, stylis coronata, trilocularis, trivalvis.

SEM. numerosa, subrotunda, plana.

### CCCCVII.

#### KYLLINGA INCOMPLETA.

Crescit in udis territorii Caracasani; apud nos in caldariis floret Octobri & Novembri. Radix perennis, multiceps, nigra, fibris fuscocentibus jubata, culmos attollit plures, basi bulbose incrassatos, erectos, triquetros, nitidos, glabros, late virentes, inferne purpurascentes, aphyllous, tripedales, calamo crassiores, terminatos in umbellam, basi vaginis foliorum deperditorum vestitos. Folium in planta florente plerumque unum dumtaxat alterumve, radicale, culmo paulo brevius, dimidiam fere unciam latum, inferne longe vaginans, sublineare, acutum, lineatum, dorso medio carinatum, glabrum, superne ad oras & carinam retrorsum scabrum. Involucrum universale polyphyllum; foliolis tribus extimis folio radicali

simillimis, patentissimis, dein reclinatis; longiori bipedali; reliquis brevibus, angustis & inæqualibus. His ultimis involucella sunt similia. Radii plures, triquetri, glabri, longitudine valde inæquales, longiores biunciales. Radii pauci extimi & patentissimi ipsi etiam umbelliferi sunt ex spicis sessilibus plus minus quaternis; interiores simplicissimi unicam spicam gerunt. Ad sunt etiam sæpe culmi, qui umbellam simplicissimam habent ex radiis omnibus monostachyis, nonnunquam brevissimis. Spicæ sunt cylindricæ, rectæ, calatum crassæ, unam duasve uncias longæ, veluti amenta. Flosculi sessiles, numerosi, omnes hermaphroditi, distincti, patentissimi, rhachis spiculæ tuberculosæ & glabræ dense obsident. Calyx viret. Petala glabra, albida & membranacea dorsum habent viride & striatum. Antheræ flavent. Stigmata albent. Semen est glabrum.

**CAL.** Gluma uniflora, monophylla, subulata, acuta, ad oras aculeata, longitudine corollæ.

**COR.** bivalvis: valvulis ovatis, acutulis, conniventibus, erectis, fere æqualibus, mutuo amplexantibus.

**STAM.** Filamenta tria, capillaria, longitudine corollæ. Antheræ lineares, erectæ.

**PIST.** Germen ovatum, acutum, triquetrum. Stylus capillaris. Stigmata tria, capillaria.

**PER.** nullum.

**SEM.** unicum, triquetrum, acutum.

## CCCCVIII.

**LOBELIA ERINUS.** *Linn. Syst. pag. 802.*

*Campanula minor africana*, erini facie, flore violaceo, caulis erectis.

*Herm. lugd. pag. 110. tab. 111.*

*Trachelium minus africanum*, floribus violaceis per caulem sparsis. *Tourn. inst. pag. 131.*

Ex terra, in qua ex Promontorio bonæ Spei ante tres annos plantatæ stirpes Vindobonam advectæ fuerunt, copiose omni anno sponte in tepidariis & sub dio enascitur, florens a Martio ad Junium. Radix annua, fibrosa, albida. Caules plures, sesquipedales, ramosi, subangulati, purpurascentes, graciles, debiles, decumbentes, hirsutuli, ad flores virentes & glabri; caule tamen medio plerumque ramisque saepe paucis erectis. Folia sunt lanceolata vel ovata, acutula, magis minusve serrata, breviter petiolata, alterna, uncialia, summa glaberrima; reliqua glabriuscula, ad oras villosula & subtus purpurascens. Pedunculi axillares, solitarii, filiformes, nitidi, erectiusculi, uniflori, nudi, foliis circiter triplo longiores. Flores inodori. Calycis superi foliola quinque, linearia, acuta, æqualia, patula, videntia, glabra, germine longiora. Corolla violaceo - cærulea, calyce duplo longior, ad faucem sulphurea. Labium superius diphillum; laminis linearis-lanceolatis, acutis, & ad oras per lentein ciliatis. Labii inferioris semitrilobi & latissimi laciniæ sunt ovatae & obtuseæ. Antheræ sunt nigroviolaceæ. Germen turbinatum, glabrum, viride. Stylus viret. Capsula trilocularis. Et alia generis.

## CCCCIX.

## CCCCIX.

## CASSIA POLYPHYLLA.

In insula Porto rico sponte crescit; in caldario horti Cæsarei Schönbrennensis floret Aprili & Majo; sed fructu carens. Arbuscula ramosa, sex pedes alta; trunco pollicem crasso. Rami teretes, fulci, a foliis delapsis tuberculosi, ad lentem villosuli, juniores viriduli. Stipulæ setaceæ, villosæ. Folia in ramis senioribus ex iisdem tuberculis aggregata plurima, quare polyphyllam dixi, in ramulis novellis alterna, pinnata, a quinque ad duodecimjuga. Costa ab unica ad duas uncias longa, dorso teres, antece sulcata, ad lentem villosa, ad ortum lutea, cæterum viridis. Pinnæ oppositæ, oblongæ, obtusæ cum mucrone luteolo, tres lineas longæ, integrimæ, ad oras pilis albis ciliatæ, facie glabræ, dorso pilis decumbentibus rarer hispidæ, petiolo brevissimo luteoque suffultæ. Inter pinnas infimas glandula stat erecta, pyramidalis & lutea. Pedunculi ex foliorum aliis in ramis adultis exeunt patuli, plerumque semibifidi & biflori, rarius uniflori aut triflori, villosuli, longitudine foliorum, bracteolis ad divisuram muniti duabus parvis & albidis. Flores inodori, diametri fuscuncialis. Calycis foliola quinque, ovata, obtusa, concava, patentissima, pallide viridentia cum oris flavis, inæqualia, exteriora duo obsolete villosula, reliqua glabra. Petala quinque, lutea, obverse ovata, obtusa, in unguem angustata, patentissima, longitudine inæqualia. Filamenta decem; tria summa brevissima cum antherarum rudimento; in quatuor subsequis antheræ oblongæ, obtusæ & erectæ; in tribus infimis longioribus antheræ in obtusum mucronem desinentes. Germen sulcatum, teres, longum, villosum. Legumen

men lineare, angustum, semipedale, ad semina torulosum. Semina ova-ta, obtuse mucronata, compresso-plana, nitida, fusca.

## CCCCX.

## ILEX LIGUSTRINA.

Sponte crescit in Carolina. Ex semine enata quinto ætatis anno in caldariis nostris floruit a Januario ad Martium, jam quadripedalis, ramosa, sempervirens; tota glabra, trunko terete fusco pollicemque crasso, ramis teretibus sulcatulis & ex nigro purpurascens. Folia sunt lanceolata, basi magis angustata & acuta, obtusula, facie lucida & per venas transver-sas obscure undata, subitus nitida & pallidius virentia, supra medium obso-lete ferrata, firmula, opposita & alterna, duas cum dimidia uncias longa, petiolo instructa breviori & ramis concolore. Pedunculi axillares, aggre-gati, petiolorum longitudine, alii uniflori & simplices, alii bifidi & biflori, bracteola una alterave minuta vestiti. Flores inodori. Calycis, nonnun-quam quinquepartiti, laciniæ virent cum oris albidis. Corolla semper quadrifida & filamenta albent. Antheræ flavent. Germen viret. Fructus non maturescit.

CAL. Perianthium quadripartitum, inferum, parvum, persistens: laciniis subrotundis, acutulis, concavis, patentissimis.

COR. monopetala. Tubus brevissimus. Limbus quadrifidus: laciniis ob-longis, obtusis, patentissimis.

STAM. Filamenta quatuor, subulata, adscendentia, cum petali laciniis al-ternantia, iisdemque paulo breviora. Antheræ cordatæ, erectæ.

O

PIST.

PIST. Germen ovatum. Styli quatuor, brevissimi, erecti. Stigmata simplicia.

PER. Bacca. . . .

SEM. . . . .

### CCCCXI.

CYNANCHUM MONSPELIACUM. *Linn. Syst. pag. 257.*

Apocynum quartum latifolium, Scammonea valentina. *Clus. hist. pag. 126.*  
Scammonea monspeliaca foliis rotundioribus. *Bauh. pin. pag. 294.*

Crescit in Hispania & Gallia narbonensi; apud nos a statem subdio, hyemem in tepidario agens, floret ab Augusto ad Octobrim, fructum non ferens. Totum abunde lactescit. Radix perennis, teres, carnosa, albida, plures uncias longa, digitum plus minus crassa, fibris aucta. Caules plures, annui, teretes, glabri, ramosi, volubiles, sexpedales. Folia opposita, petiolata, cordata, acuta, integerrima, glaucescentia, primo intuitu glabra, sed ad lentem utrinque & rariter villosum. Pedunculi ad folia laterales, alterni, foliis longiores, erectiusculi, superne villosum & paniculatim ramosi cum ramis quibusdam umbellatis. Bracteæ ad divisiones subulatae & minutæ. Flores carnei, inodori. Perianthium quinquepartitum, parvum, villosum; foliolis lanceolatis, acutis, patentissimis. Corolla rotata, patentissima; laciniis lanceolato-oblongis, acutiusculis, planis. Nectarium campanulatum, quinquepartitum, longitudine pistilli; foliolis ovatis, ad apicem acute laciniatis. Vagina, german circumdans, dividitur

tur superne in quinque bracteas albidas, intus ad basin bifaccatas, & apicibus suis stigmati incumbentes. Filamenta decem.

## CCCCXII.

## LIMODORUM DIURNUM.

Arboribus parasitica innascitur in sylvis montosis ad Caracas. Ex terra vero in caldariis nostris lâte vegetat, florens Majo & Junio, fructum ferre négans. Totum glabrum est. Radices numerosæ, teretes, albidæ, longæ, calamo graciliores. Bulbi plures, carnosæ, aggregati, elongate ovati, compressi, sulcati, virides, fere triunciales, membranis scariosis diruptis vestiti, singuli folia emittunt bina vel terna, sublinearia, obtusula, coriacea, firma, integerrima, reclinata, unico nervo medio instructa, paucilineata, fere sesquipedalia, a dimidia ad integrum unciam lata, seniora ad oras leviter revoluta. Scapus teres, erectus, flexuosus, ad nodos vestitus spatha scariosa acuta vaginante breve, bipedalis, badius punctisque ochroleucis exasperatus; emitens ex nodis racemos alternantes, quadriunciales, plus minus quinquefloros, patentissimos. Pedicelli proprii semunciales. Bracteæ ad flores nullæ. Flores interdiu odoratissimi, noctu inodori. Germen viret. Petala sordide ex viridi flavent. Nectarium albet cum striis purpureis. Cucullus staminum luteus est. Antheræ luteæ. Stylus ex viridi albet.

CAL. nullus.

O.

Cor.

**COR.** Petala quinque, acutula, patentissima, plana, longitudine subæqualia, tria exteriora cuneiformi-lanceolata, duo interiora paulo magis spatulata.

Nectarium monophyllum, antrorsum porrectum, cum stylo opposto minime connatum, trilobum; lobis lateralibus ad invicem coniventibus, oblongis, obtusis, planis; intermedio cordato-subrotundo, exanco, crispato, duplo longiori.

**STAM.** Filamenta quatuor, brevia, stigmati imposita. Antheræ solitariæ in quolibet filamento, obverse ovatæ, planæ, reconditæ in cucullo quadriloculari, superne plano & depresso, insidente stigmati.

**PIST.** Germen oblongum, superne crassifrons, obsolete trisulcatum, inferum. Stylus erectus, dorso carinatus, antice canaliculatus, nectario fere duplo brevius. Stigma infundibuliforme, expansum in limbum obtuse quinquedentatum.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCCXIII.

#### LIMODORUM TUBEROSUM. *Linn. Syst. pag. 816.*

Helleborine americana, radice tuberosa, foliis longis angustis, caule nudō, floribus ex rubro pallide purpureo-scentibus. *Mart. cent. pag. 50. tab. 50.*

Helleborine radice arundinacea, foliis amplissimis lyratis. *Plum. icon. pag. 184. tab. 189.*

In America torrida crescit. Floret in caldariis nostris Martio & Aprili; fructum dedit Julio. Totum glabrum. Radix constat ex tuberibus aggregatis, supra terram saepius eminentibus, subrotundis, compressulis, pugni infantis crassitie, striatis, virentibus, subtus fibras numerosas crassas longas & fuligineas demittentibus, ex apice folia, ex latere inferiori scapo generantibus. Folia sunt plura, ensiformia, acuta, integerrima, nervosa, plicata, erecta, duos tresve pedes longa, petiolo insistentia canaliculato & plusquam semipedali. Scapus erectus, quadripedalis, teres, ad spicas obsolete triangularis, calatum crassus, firmus, sordida purpura maculatus, spathis ad genicula remota vestitus squamosis vaginantibus acutis brevibusque, superne in spicas ramosae terminatur. Spathæ ad flores lanceolatæ, acutæ, sessiles, patentissimæ, virides, germine breviores. Flores inodori, sessiles, ex spica patentes. Petala omnia sunt concoloria & purpurea cum apice viridulo. Nectarii labium inferius etiam purpureum est cum disco flavescente. Labii superioris laciniæ & cucullus antherarum debilius purpurascunt. Antheræ flavent. Octo loculamenta dicti cuculli formantur per tria dissepimenta longitudinalia & unum transversum secans tria priora.

CAL. Spathæ vagæ.

COR. Petala quinque, acuta, concava, duo interiora paulo breviora tribus exterioribus. Exterius supremum cum duobus interioribus in galeam connivent. Alia duo exteriora, sibi opposita, cum labio nectarii inferiori intermedio antrorum reclinantur. Exterius supremum est lanceolatum; inferiora duo inferne ovata, dein falcata, in baseos altero latere in gibbum a nectario protruduntur.

Nectarii labium superius erectum, styli dorso accretum, supra hunc trilobum, lobis rotundatis, parvis. Labium inferius semierectum, dein reflexum, longitudine corollæ, propagine horizontali & brevi in basi a superiori remotum, trilobum: laciniis lateralibus adscendentibus, obtusis, oblongis; intermedia subrotunda, crispa, crenata, disco medio longitudinaliter lamellato.

**S T A M.** Filamenta duo, brevia, bifida. Antheræ in quolibet filamento quatuor, obverse ovatæ, compresso-planæ, duæ altius supra alias positæ, reconditæ in cucullo octoloculari.

**P I S T.** Germen teres, striatum, inferum. Stylus erectus, incurvus, petalis paulo brevior. Stigma infundibuliforme.

**P E R.** Capsula oblonga, elongata, teres, incurvatula, unilocularis, trivalvis.

**S E M.** numerosa, scobiformia.

#### CCCCXIV.

#### TRIBULUS MAXIMUS. *Linn. syst. pag. 401.*

Tribulus foliis senis pinnatis, extimis majoribus, floribus singularibus.  
*Brown. jam. pag. 220. tab. 21. fig. 3.*

Tribulus terrestris fructu turbinato, foliis lanuginosis. *Plum. icon. tab. 254. fig. 1.*

Tribulus terrestris major, flore maximo odorato. *Sloan. hist. jam. 1. pag. 209. tab. 132. fig. 1.*

In insulis Antillis plerisque sponte crescit; in caldariis nostris floret Julio ad Octobarim. Radix annua, calamum crassa, fordide pallens, prolongatur in caulem erectum & unciale; ex quo mox plures rami principes seu totidem caules egrediuntur, in orbem sparsi totique procumbentes, sesquipedales & ultra, articulati, alternatim ramosi, viriduli cum suffusa obsoleta purpura, primo compressuli, magis adulti teretes, villosum, & parumper asperi. Folia inferiora alterna, pleraque reliqua opposita, breviter petiolata, patenissima sive disticha, pleraque trijuga, nonnulla quadrijuga; supra saturate virentia & glabriuscula; subtus pallida, rariter hirtula & ad lentem minutissime brevissimeque muricata; nec ulla tenus tomentosa; foliolo impari terminali destituta. Petioli villosum & tertiusculi. Pinnæ brevissime petiolatae, subovatae, integerrimæ, acutæ, plus minus unciales, superiores maiores, summæ duæ cum latere interiore oblitterato. Stipulae gemellæ, lanceolatae, acuminatae. Pedunculi axillares, solitarii, teretes, foliis breviores, villosum, superne incrassati & fulcatuli, in flore erecti, in fructu deflexi. Flores inodori, diametri vix semuncialis. Calyx hirsutulus, viridis. Corolla ex cinereo flavescentia. Stigma viride. Capsulae fuscæ.

CAL. Perianthium pentaphyllum, patentissimum, persistens; foliolis lanceolatis, acutis, concavis.

COR. Petala quinque, subrotunda, obtusissima, superne obsoletius trilobata, marginibus mutuo incumbentia, planiuscula, patentissima, calyce paulo longiora.

STAM. Filamenta decem, subulata, erecta, petalis breviora, in orbem sita, alterna longiora. Antheræ subrotundæ.

**PIST.** Germen ovatum, decemstriatum, abiens in Stylum cōicum persistentem & longitudine staminum. Stigma simplex, obtusum.

**PER.** Fructus ovatus, decemstriatus, terminatus stylo conico, separabilis in capsulas decem, hinc convexas, inde angulatas, acutas, rugosas, compressas.

**SEM.** solitaria.

### CCCCXV.

#### ALPINIA COMOSA.

Crescit sponte ad Caracas. In nostris caldariis floret æstate, sed fructum non tulit. Ex eadem radice perenni, tuberosa, carnosæ, sobolifera, foris fuscæ, & intus albida, caules attolluntur cespitose plures, basi pollicem crassi, cæterum digitæ crassitie, quinquepedales, teretes, vaginis fuscis persistentibus & dense hirtulis foliorum præteriorum toti vestiti, erecti, parum flexuosi, simplices. Folia in superiore caulis parte oblongo-lanceolata, cuspidata, integerrima, parum undulata, coriacea, utrinque mollia & villosum, semipedalia, basi vaginantia. Spica terminalis, erecta, densa, comosa ex bracteis lanceolato-acuminatis, sessilibus, integerimis, villosulis, biuncialibus, primo erectis, dein reflexis, cum mixto virore sanguineis. Flores solitarii in qualibet bractea, sessiles, longitudine bracteæ, inodori. Calyx rubet. Corolla & filamentum flavent. Germen, stylus & antheræ albent.

**CAL.** Perianthium monophyllum, superum, villosulum, ciliatum, semitridatum, erectum, breve; laciniis semiovatis, acutis.

Cor.

**COR.** oblonga, basi incurva. Petala tria, oblonga, acuta, concava, æqualia, erecta, conniventia; quorum dorsale latius est, & apice reflexum.

Nectarium crassum, oblongum, canaliculatum, erectum, apice truncato & quinquedentato, longitudine corollæ, petalo dorsali oppositum.

**STAM.** Filamentum unicum, oblongum, obtusum, concavum, petaliforme, erectum. Antheræ duæ, oblongæ, adnatæ parti superiori internæ filamenti.

**PIST.** Germen oblongum, villosum, obsolete triquetrum. Stylus capillaris, transiens inter antheras. Stigma capitatum, infundibuliforme.

**PER. & SEM.** . . .

## CCCCXVI.

### TRADESCANTIA ERECTA.

Ignoratur hic patria. Annua planta in caelario floret & fructum fert a Majo ad Septembrim. Caulis erectus, pollicem crassus, solidus, supra quodlibet folium planus, cæterum teres, nitidus, parum flexuosus, nodosus, viridis aut hic illic purpurascens, quadripedalis, ramosus, ex insimis geniculis radices in terram demittens crassulas. Folia sunt lanceolato-ovata, acuta, integerrima, ad oras undulata, multinervia, basi angustata in vaginam brevem amplexicaulem, dorso nec facie nitida, pallide virentia, ad lentem utrinque punctata & villosula, longiora semipedalia, summa opposita, reliqua alterna. Racemus terminalis, bifidus; ramulis racemosis. Flores pedicellati, secundi, successive prodeuntes; fructibus una cum pe-

dicellis deciduis. Calycis triphylli foliola ovato-oblonga, obtusula, concava, hirsuta, pallide virentia, patentissima. Petala tria, ampla, cærulea, subrotunda, obtusissima, in unguem angustata, plana, patentissima, longitudine calycis. Filamenta sex. Horum tria petalorum fere longitudine, declinata, apice adscendentia, subulata, basi barbata, una cum antheris incumbentibus cærulea. Alia tria brevia, subulata, erecta, cærulecentia, circa medium densissime barbata; barba filamenti intermedii tota lutea, lateralium duorum extrorsum cærulea & introrsum lutea; omnia antheris donata flavis. Germen oblongum, trigonum, glabrum, pallens. Stylus subulatus, colore situ & longitudine filamentorum longiorum. Stigma simplex, obtusum. Capsula oblonga, obtusa, tribus mucronibus minimis cæruleis coronata, obsolete trigona, trilocularis, trivalvis, calyce tecta, ejusdemque longitudine. Semina plura, angulosa, inæqualia, fusca.

## CCCCXVII.

MANULEA TOMENTOSA. *Linn. Syst. pag. 569.* *Linn. mant.*  
*pag. 88.*

*Selago tomentosa.* *Linn. spec. pl. pag. 877.*

*Planta.* *Plukn. phyt. tab. 319. fig. 2.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos in tepidario perennat, & semper viret; florens Mayo & subsequis. Caules plures, basi adscendentes, etiam procumbentes, cæterum erecti, inferne lignescentes, debiles, duos tresve pedes tandem alti, tandem ramosi, teretes, molles,  
den-

dense villosi, subincani, toti foliosi. Rami oppositi, axillares. Folia opposita, veluti in petiolum angustata, obverse ovata, obtusa, obtuse ferrata, ad oras undulata, utrinque tomentosa & mollia, rigidula, crassula, biuncialia, patentia. Thyrus semipedalis, terminalis, oblongus, erectus. Bracteæ foliis similes, sed minutæ. Pedunculi communes axillares in bracteis, multiflori, coarctati, breves. Flores suaveolentes, subsessiles, bracteolis lanceolatis interstincti. Calyx pilis albis crassisque muricatus est. Corollæ tubus albet; limbus primo flavet, dein ex aurantiaco luteus evadit. Antheræ flavent. Omnes villi in caule, foliis & calyce articulati sunt. Capsula fuscescens, glabra. Semina cinerea.

**CAL.** Perianthium quinquepartitum, persistens: foliolis linearis-cuneiformibus, æqualibus, inferne erectis, superne patulis.

**COR.** monopetala. Tubus filiformis, ad faucem duplo ampliorem brevemque incurvatus, calyce fere triplo longior. Limbi quinquefidi laciniae æquales, oblongæ, obtusæ, convexulæ, patentissimæ, tubo duplo breviores.

**STAM.** Filamenta quatuor, brevissima, in fauce corollæ, quorum duo paucio superiora. Antheræ oblongæ, erectæ.

**PIST.** Germen superum, parvum. Stylus filiformis, erectus. Stigma longe clavatum, simplex, erectum, villosum.

**PER.** Capsula oblonga, acuta, bilocularis, bivalvis.

**SEM.** pauca, subteretia, obtusa, rugosa,

## CCCCXVIII.

## JUSTICIA CARACASANA.

Crescit ad Caracas in America. Frutex erectus, ramosus, quinquepedalis, caulis calatum crassis; junioribus ramisque teretibus, sexangularibus sive profunde sexstriatis, & ad lentem villosulis. Folia sunt opposita, breviter petiolata, ovato-acuminata, parum undulata, subrepanda vel integerrima, utrinque ad lentem villosula, a quatuor ad sex uncias longa. Spicæ terminales & axillares, solitariæ, erectæ, longe pedunculatæ, tandem sine pedunculo semipedales & ultra, cumque calycibus fructescientibus tunc remotis. Flores sessiles, oppositi. Bracteæ ad quemlibet florem ternæ, acuminatæ; extima duplo latiore ducabus lateralibus; calyce triplo breviores. Calyx viret. Corolla ex violaceo saturate purpurea est. Antheræ flavent. Foliis & floribus per totum annum gaudet in caldariis nostris.

**CAL.** Perianthium quadripartitum, persistens; laciniis lanceolato-linearibus, acuminatis; tribus erectis, extima supra medium patentissima.

**Cor.** monopetala, ringens. Tubus brevissimus. Faux longissima, longe infundibuliformis, plicato-striata. Labium superius erectum, oblongum, concavum, integerrimum, obtusum. Labium inferius paulatim latescens, reflexum, obtusum, ore trilobo.

**STAM.** Filamenta duo, filiformia, erecta, recondita sub labio superiori; quo paulo breviora. Antheræ geminæ, ovales, adnatæ situ opposto bracteolæ, quæ lateraliter apici filamenti affigitur.

**PERT.** Germen oblongum, compressum, corpore glandulofo albo cinctum. Stylus capillaris, situ & longitudine staminum. Stigma oblongum, obtusum.

**PERR.** Capsula congenerum.

## CCCCXIX.

## MARANTA LUTEA.

Crescit in sylvis uidis ad Caracas. In caldario floret a Junio ad Augustum, fructum fert maturum Septembri & Octobri. Radix perennis, tuberosa, fibrolifera, carnosa. Caules plures, semperfирentes, plusquam annui, sexpedales, erecti, calamum crassи, compressuli, nitidi, ad folia incrassati nodose. Folia radicalia plura & disticha, caulina ad distantias etiam talia, oblonga, acuta, integerrima, oblique lineata, nitida, firmula, plana, longiora plusquam pedalia, & insistentia petiolo tereti brevi ortoque ex vagina ipso folio longiore. Spica pedunculata, disticha, erecta, terminalis & axillaris, ramo uno spicato plerumque auctae, plus minus semipedalis, etiam successive duae. Bracteae bivalves, sessiles, alternae, distichae, ovatae, acutae, integerrimae, erectiusculae, conniventes, subcoriacae, sordide luteae, infimae fuscunciales, superiores breviores, valvula altera semper duplo breviore. Calyx bracteis concolor. Corolla alba. Fructus fuscescens, qualis etiam in Maranta arundinacea habetur, hoc cum discrimine, quod arundinacea fructum habeat ovatum, cum pellicula a semine facile separabili, quae eidem in lutea firmiter adhaeret. In qualibet bractea pedunculus locatur brevis, crassulus, bifidus, biflorus, & albidus. Flores inodori, parum e bractea emergentes, successive prodeuntes.

**CAL.** Perianthium superum, triphyllum; foliolis oblongis obtusis, concavis, erectis.

**COR.** supera, duplex. Exterior Petala tria, oblonga, obtusissima, parum concava, erecta, longitudine calycis. Interior monopetala, erecta, longior exteriore, tripartita; lacinia una oblonga, concava, obtusissima, reflexa in labium bilobum; laciniis duabus lateralibus oblongis, concavis, obtusis, priore paulo brevioribus; altera superne ad latus appendice lanceolata acutaque aucta.

**STAM.** Filamentum unicum, oblongum, obtusum, laciñæ primæ petali interioris oppositum, petaliforme. Anthera oblonga, adnata.

**PIST.** Germen inferum, trigonum, trisulcatum, glabrum. Stylus crassus, superne revolutus. Stigma triangulare.

**PER.** Bacca sicca, trigona, utrinque truncata, unilocularis.

**SEM.** unicum, figura baccæ, triloculare; loculamento medio sterili sine nucleo.

### CCCCXX.

#### DRACONTIUM LANCEÆFOLIUM.

Sponte crescit ad Caracas in arboribus parasiticum. In caldariis nostris floret totam æstatem & autumnum; at fructum non perficit. Totum glabrum & sempervirens. Radices numerosæ, longæ, teretes, crassæ, succulentæ. Folia plura, radicalia; ex lata & amplexante basi, in petiolam teretem, crassam, erectam, a dimidio ad integrum pedem longum, & orbis alatas conniventesque canaliculatum abeunte, terminata in paginam lanceolatam, acuminatam, integerrimam, nitidam, fere longitudine petio-

li.

li, subcoriaceam, patulam, ex nervo medio venis lateralibus adscendentibus numerosis refertam. Scapi plures, ad usque medietatem inclusi singuli petiolo vaginanti, erecti, calamo fere duplo crassiores, teretes, firmi, virides. Spatha sessilis, parumper decurrentis, inferne magis minusve dorso scapi adnata, erectiuscula, viridis, plana, expansa, omnino folii paginae similis, at tantum semipedalis. Spadix digitiformis, biuncialis, erectus, teres, fructificationibus hermaphroditis densissime tectus, a germinibus prominentibus inæqualis. Petala alba cum apice viridi, Filamenta alba. Antheræ ochroleucæ. Germen viride.

**CAL.** Perianthium proprium nullum.

**COR.** Petala quinque, subcuneiformia, apice plano & fornicato, a compimentibus vicinis floribus saepè foris angulata, erecta.

**STAM.** Filamenta quinque, compressa, erecta, petalis paulo altiora. Antheræ geminæ, oblongæ, saepè quedam ob compressionem partium adjacentium ex corolla non prodeuntes.

**PST.** Germen superum, ovale, subteres, petalis longius. Stylus nullus. Stigma incisura trifida in apice germinis.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCGXXI.

### POTHOS DIGITATA.

Arbóribus parasitica increvit in sylvis montosis ad Caracas. In caldariis nostris lætissime vegetat, florens fere per totum annum, sed fructu carent. Tota glabra, Caulis teres, bipedalis & altior, diametri sefuncialis, ab

am-

amplissimis fuscisque foliorum præteriorum cicatricibus inæqualis, virens cum maculis albis, in toto decursu radices teretes longas crassas fuscasque demittens. Folia sunt alterna, digitata. Petiolus teres, calamum & ultra crassus, ab uno ad duos pedes altus, firmus, erectus, nitidus, atrovirens, infra foliola incrassatus pallideque virens, ex basi crassa ortus. Foliola a quinque ad novem, lanceolato-oblonga, acuta, integerrima, nitida, patentissima, a sex ad decem uncias longa, pedicellis uncialibus basique incrassatis suffulta, juniora facie glutinosa. Stipula ad petiolos connivens, crassa, tres quatuorve uncias longa, primum viridis, dein marcescendo fusca & lacera. Pedunculi axillares, solitarii, erecti, calamum crassi, biunciales. Spatha rubra. Spadix longitudine spathæ, digitum crassus, tres quatuorve uncias longus, erectus, primum purpurascens, dein pallens. Antheræ flavæ nunquam egrediuntur ex petalis, nec attolluntur ultra corollam; at pollen flavum, forte per compressionem partium adjacentium intumescentiamque propriam, exprimitur ex corolla, adhæretque superficie spadicis, mentitum materiem gummosam, quæ ad lentem globulis minutissimis constare cernitur. Germinis virentis apex sordide purpurascit. Stigma viret.

CAL. Spatha lanceolata, acuta, plana, patens. Spadix teres, obtusus, totus fructificationibus hermaphroditis dense tectus.

COR. Petala quatuor, cuneiformia, angulata, erecta, concava, apice fornicate & depresso.

STAM. Filamenta quatuor, lata, compressa, erecta, petalis breviora. Antheræ geminæ, ovatae, erectæ.

PIST. Germen quadrangulare, truncatum, erectum, longitudine corollæ.  
Stylus nullus. Stigma fissura transversa, simplex.

PER. & SEM. . . .

### CCCCXXII.

#### POTHOS GRANDIFOLIA.

Parasitica arboribus innascitur in sylvis montosis circa Caracas. In caldariis nostris floret æstate, sed fructum ferre negat. Tota glabra est, & sempervirens. Fibræ radicales numerosæ, teretes, longæ, calatum crassæ, pallide virentes & inferiora versus rubentes, senescentes cinereæ. Folia radicalia plura, elongate cordata, acuta, integerrima, leviter undulata, septemnervia, etiam venosa, coriacea, firma, nitida, majora sesquipedem & ultra longa, fereque pedem lata; suffulta petiolo pedali, digitum crasso, antice fulco acuto inciso, cæterum tereti, erectiusculo vel patulo, ex basi latiore orto. Infima pauca folia longe minora sunt. Scapus teres, petiolis longior, digitum minimum crassus, virens, patentissimus. Stipulæ lanceolato-acuminatæ, conniventes, coriaceæ, viridulæ, semipedales. Spatha quatuor vel quinque uncias longa, lanceolata, acuta, coriacea, viridis, brevi spiraliter involuta. Spadix subulatus, digitum crassus, tandem fere pedalis, erectiusculus, totus fructificationibus hermaphroditis dense tectus. Petala albida cum vertice badio. Filamenta alba. Antheræ flavæ. Germen pallet cum vertice badio. Stigma viret.

CAL. Perianthium proprium nullum.

Q

COR.

**COR.** Petala quatuor, oblonga, concava, apice fornicate & depresso, erecta, simul corollam tetragonam formantia.

**STAM.** Filamenta quatuor, compressa, erecta, longitudine corollæ. Antheræ geminæ, oblongæ, extra corollam eminentes.

**PIST.** German superum, oblongum, tetragonum, longitudine corollæ, truncatum. Stylus nullus. Stigma incisura linearis in vertice germinis.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCCXXIII.

#### POTHOS CRASSINERVIA.

Arboribus parasitica innascitur in sylvis montanis circa Caracas; in caldariis nostris florens totum fere annum, sed fructum nullum perficiens. Tota glabra est. Radices numerosæ, teretes, longæ, calatum crassæ, foris albicantes, intus virides, paulatim seje supra terram, in qua apud nos in olla vegetat, elevate, sic ut radix princeps media veluti caulescat. Folia sunt radicalia, plura, oblongate lanceolata, acuminata, integerrima, enervia, venosa, coriacea, firma, erecta, late virentia, ad oras ob reflexum tantisper marginem incrassatula, subtus ad lentem densissime albido-punctata, a sesquipedale ad duos cum dimidio pedes longa, lata a quatuor ad octo uncias; nervo medio instructa crassissimo, saepe digitum inferne æquante, in utraque facie protuberante, in prona semper ad angulum acutum, in posticâ nonnunquam etiam ad talem, saepius tamen hic obtuso & sulcis exarato; insistentia petiolo digitum crasso, tres quatuorve uncias longo, antice plano, subtus tereti & subangulato, infra paginam magis incrassata-

fa-

ſato albido & geniculato. Stipulæ ad petiolos lanceolatæ, acuminatæ, carinatæ, erectæ, firmæ, triunciales. Scapi plures, subteretes, superne magis angulati, horizontaliter patentes, a dimidio ad duos pedes longi. Spatha lanceolata, spadicis longitudine, acuminata, univalvis, plana, dependens, viridis, brevi fuscescens, dein se contrahens & marcescens. Spadix adſcendens, teres, calamo crassior, a tribus ad quinque uncias longus, obtusus, totus æqualiter & densissime teſtus fructificationibus hermaphroditis tetragonis. Petala basi pallida, vertice fuſcescentia. Filamenta albida. Antheræ luteæ. Germen pallide viret cum vertice fuſco-punctato.

CAL. Perianthium proprium nullum.

COR. Petala quatuor, cuneiformia, concava, vertice depresso fornicata, erecta.

STAM. Filamenta quatuor, lata, ante petala posita, eorundemque longitudine. Antheræ geminæ, oblongæ, petalorum vertici incumbentes.

PIST. Germen superum, tetragonum, truncatum, longitudine corollæ. Stylus nullus. Stigma simplex.

PER. & SEM. . . .

#### CCCCXXIV.

#### SOLANUM FUGAX.

Frutex humanæ altitudinis & valde ramosus sponte crescit circa Caracas. In caldariis nostris floret æstate, sed fructum nedium ullum tulit. Truncus digitum crassus, teres, cortice vestitus nigricante & punctis ex-

sperato. Rami plerumque dichotomi, divaricatissimi, juniores glabri, seniores exasperati. Folia lanceolata, breviter petiolata, alterna ad genicula, integerrima, venulosa, ad oculum nudum glabra, ad lentem obsolete villosula, biuncialia. Pedunculi ex ramulorum divaricatione vel oppositi-folii, solitarii, uniflori, penduli, graciles, unciales. Flores circa quin-tam horam matutinam expanduntur, brevi iterum clauduntur, atque sic clausi in frutice perstant per paucos dies, quando decidunt. Perianthium est campanulatum, parvum, truncatum, decemstriatum. Corolla ampla, rotata, patentissima, insignita stella flavescens quinqueradiata apicibusque suis acutis ultra limbum porrectis. Antheræ flavent. Stylus staminibus lon-gior, subulatus, crassus, albus. Stigma luteum.

## CCCCXXV.

## SOLANUM AGGREGATUM.

*Atropa solanacea.* *Lin. Syst. pag. 221.*

Frutex quadripedalis, erectus, totus inermis, florens in calda-rio tum etiam sub dio æstatem apud nos totam, fructum ferens matu-rum a Julio ad Novembrim; sponte crescens in Guinea. Rami teretes; ju-niores brevi lignescentes, suicescentes & glabri; seniores & truncus digi-tum crassi, tuberculisque saepe asperi. Folia aggregata ex iisdem gemmis plura, breviter petiolata, nitida, ovato-lanceolata vel ovata, obtusa, integerrima, uncialia. Pedunculi ex iisdem inter folia gemmis successive plures, uniflori, unciales, graciles, glabri, in flore patentissimi, in fru-ctu nutantes. Calyx turbinatus, parvus, nitidus, viridis, quinquedenta-tus,

tus, persistens. Cerolla pallide purpureo-violacea, uncialis diametri; laciniis lanceolato-oblongis, acutis, patentissimis, subundulatis; tubo brevi. Filamenta alba, brevia. Antheræ luteæ, longæ, distantes. Stylus albus, longitudine staminum. Stigma capitatum. Bacca subrotunda, flava, nitida, bilocularis, pisi magnitudine. Semina pauca, compressa. Ob corollam ad Solana reduxi, quantumvis antheræ non sint contiguae.

## CCCCXXVI.

## SOLANUM GIGANTEUM.

In regione interiore ad Promontorium bonæ Spei crescit; apud nos æstatem sub dio, hyemem agit in tepidario, florens Octobri & Novembri, fructum ferens maturum Decembri & Januario. Arbor quindecimpedalis in patria, trunco brachium & ultra crasso. Apud nos jam tertio ætatis anno floret, vix quadripedalis. Caulis teres, erectus, cinerascens, armatus aculeis brevibus validis tomentosis & ex lata basi ortis. Tales etiam rami, sed juniores tomentosi & incani. Folia sparsa, inermia, lanceolata, acuta, integerrima, rugosa, facie glabra, subtus tomentosa & incana, semipedalia cum petiolis uncialibus tomentosis & inermibus. Racemi terminales, ultra quos rami dein elongantur, teretes, toti cum floribus inermes, tomentosi, bis plerumque dichotomi, triunciales. Pedicelli plures, secundi, in flore penduli, in fructu erecti & unciales. Calyx parvus, campanulatus, tomentosus, incanus, quinquedentatus. Corolla purpureo-violacea, patentissima; laciniis oblongis, acutis, planis. Filamenta brevissima. Antheræ luteæ. Stylus albus. Bacca subrotunda, nitida, pisi magnitudine, rubra. Semina subrotunda, compressa, albida, plura.

CCCCXXVII.

## PIPER PERESKIÆFOLIUM.

Piper verticillatum. *Linn. syst. pag. 75?*

Crescit in Venezuela. In caldariis nostris floret primo vere & aestate. Totum glabrum, insipidum, inodorum, & semperfivens. Radix constat ex fibris pluribus, crassulis, longis, teretibus & pallide cinerascentibus. Caules plures, subherbacei, erectiusculi, non radicantes, geniculati, debiles, ramosuli, calatum crassi; adulti aphylli, teretes, pedales & ultra, modo virentes, modo sordide purpurascentes; juniores subangulati. Rami trichotomi, dichotomi, aut alii. Folia saepius terna, breviter petiolata, late lanceolata, acuta, integerima, trinervia, fine nitore virentia, utrinque ad lenteim punctata, crassa, subcarnosa, subbiuncialia; petiolis supra rubentibus. Spicæ graciles, terminales, solitariæ, erectæ, virentes; plus minus triunciales cum pedunculo rubello & unciali. Flores sine ordine, omnium densissime, spicam obsident. Bracteola infra germen oblonga. Antheræ duæ, oppositæ ad basin germinis, oblongæ, sulcatæ, magnæ, erectæ, ochroleucæ. Germen ovatum. Stigma minutum, muriatum, album. In Amænitatum academicarum volumine quinto Linnæus Piperi verticillato suo tribuit herbam teneram & digitalem, foliaque obtusa (quæ Browneus etiam orbiculata dicit) in Speciebus suis radicem annuam. In mea planta, longe altiore, folia sunt acuta; & radix non tantum perennis, quin etiam caules jam per triennium perstant, quantumvis non lignescant. Aut igitur culta nostra planta quam maxime degenerat a nativa, aut distinctam a Linnæana planta constituit speciem.

CCCCXXVIII.

## CCCCXXVIII.

## PIPER CUNEIFOLIUM.

Creſcit ad Caracas. Apud nos floret maximam anni partem in caldariis. Totum glabrum. Fibrae radicales longæ, crassæ, teretes. Caules plures, perennes, radicantes ex nodis, inferne adſcendentes aut prostrati, cæterum erecti, teretes, carnosæ, calatum & ultra crassi, ramosæ, diffusi, pedales & ultra. Folia ſunt alterna, ex petiolo brevi crasso teretique orta, erecta, nitida, ex obverse ovato cuneiformia, obtusa, enervia, obſoletius venosa, carnosula, firma, lāte tota virentia, ſubtus pallidius, plus minus quadriuncialia, inferne oris elevatis canaliculata, ſuperne etiam parumper concava, nulla vere plana. Pedunculus terminalis, crassus, oppositifolius, geniculatus, inflexus, cum purpura virideſcens, plerumque duas ſpicas pedicellatas erectasque gerens. Spadix teres, gracilis, erectus, ſæpe flexuosus, a tribus ad quinque uncias longus, totus dene fructificationibus tectus. Bractea adnata infra ſingulos flores ſubrotunda & viridis. Antherae ad basin germinis duæ, oppositæ, ovales, fulcatæ, ſeffiles, erectæ, ochroleucæ. Germen ovatum, erectum, deſinens in appendicem lanceolatam acutani erectamque, cuius baſi anticæ inſidet ſtigma penicilliforme fulſcum. Forte hoc Piper eſt Saururus humilis, folio carnoſo ſubrotundo, Plumieri, adeoque Piper obtuſfolium Linnæi; at vero quum figura Plumieri æque adaptari poſſit Piperi meo cluſieſolio, quadantenus etiam Piperi meo magnoliaefolio, ut plane dubia maneat Plumieri planta, potius tribus hinc fructificatione diſtinguiſsimis ſpeciebus nova nomina trivialia dedi.

## CCCCXXIX.

## CCCCXXIX.

## PIPER MARGINATUM.

*Saururus frutescens*, foliis plantagineis, fructu breviori. *Plum. amer. pag.*  
59. *tab. 76.*

Crescit ad Caracas; florens in caldariis nostris æstate; tritum odoris aromatici, saporis ingratii. Ex eadem radice plures attolluntur caules fruticosi, erecti, ramosi, glabri, parum nodosi, humanæ & ultra altitudinis, basi pollicem & ultra crassii, seniores fulvi, juniores virides. Folia sunt alterna, cordata, acuminata, integerrima, novem vel undecim nervis insignita, utrinque per venulas transversas reticulata, & in iisdem ad lentem villosum, cæterum glabra, longiora una cum petiolis pedalia; petiolis membrana pallente canaliculata alatis, longiorum foliorum quadriuncialibus. Spicæ oppositifoliæ, solitariæ, teretes, triunciales, erectæ, graciles, pallidæ, pedunculo viridi & unciali insistentes. Antheræ duæ, oppositæ ad basin germinis, didymæ, sulcatæ, primo ochroleucæ, dein fulvæ. Germen subrotundum, stigmate ciliato, summum marginem occupante, terminatum. Adultum ex geniculis radicat.

## CCCCXXX.

CISSAMPELOS SMILACINA. *Linn. syst. pag. 895.*

*Smilax lenis*, folio anguloſo hederaceo. *Catesb. car. 1. pag. 51. tab. 51.*

Cres-

Crescit in Carolina. Apud nos æstatem sub dio, hyemem in hibernaculo transigit, florens Junio & Julio. Solum habemus marem. Caules plures, fruticosi, teretes, striatuli, volubiles, sex & plures pedes alti, ramosi, juniores purpurascentes & nitidi, tamen ad lentem villosuli. Folia sunt alterna, peltata, cordato-subrotunda, acute angulato-lobata, cæterum integerrima, acuta, venosa, subnervosa, subtus pallide virentia, supra nitida, utrinque ad lentem obiter villosa, petiolis donata teretibus purpurascensibus & ejusdem fere longitudinis. Racemi suprafoliacei, solitarii, petiolis breviores, compositi, subthyrsoides, villosuli. Flores inodori, pedicellati, cum virore flavescentes. Antheræ flavæ. Mas charactere quam maxime a Linnæano discrepat.

Mas.

**CAL.** Perianthium plerumque heptaphyllum, corollæ concolor; foliolis lanceolatis, acutis, concavis, patentissimis.

**COR.** Petala quinque, lanceolata, acutula, concava, patentissima, longitudinaline calycis.

Nectarium nullum.

**STAM.** Filamenta plurima, filiformia, erecta, petalis longiora. Antheræ in vertice apicis dilatati filamentorum geminæ, sessiles, subrotundæ, didynamæ.

## CCCCXXXI.

PASSIFLORA PUNCTATA. *Linn. syst. pag. 822. Linn. amœn. acad.*

*I. pag. 224. fig. 12.*

Passiflora foliis bilobis, obtusis; nectario multifido. *Roy. lugd. pag. 260.*  
 Granadilla folio tricuspidi obtuso & oculato. *Feuill. peruv. pag. 718.*  
*tab. II.*

In Peruviaë horto cultam primus invenit Feuillæus; ad nos planta sylvestris viva transportata fuit ex territorio Caracasano, quæ quotannis mensibus Junio & Julio copiosos flores producit, culta in caldario, sed fructum nedum dedit ullum. Caules plures, fruticosi, ramosi; inferne lignosi, teretes, calamum & ultra crassi, fusti; superne angulati, & virides; decempedales, debiles. Folia sunt alterna, petiolata, glabra, biloba cum lobø medio tertio obsoleto & brevissimo; lobis oblongis, obtusissimis, integrimis, divaricatis, subtus venosis & glandulas plusculas flavescentes, in prona facie folii sæpe macularum pallidarum sub forma conspicuas, gerentibus. Petioli glandulis destituuntur. Cirri axillares, solitarii, longi, convoluti. Ad latus utrumque cirri pedunculus egreditur uniflorus, geniculatus, fere uncialis, bracteis paucis minutissimis munitus. Flores inodori, fuscuncialis diametri. Calycis patentissimi foliola oblonga, obtusa, subtus viridula, intus pallida. Petala albida, calyci similia, sed multo breviora. Nectarii radii exteiiores petalorum fere longitudine, clavati, inferne virentes, superne lutei. Reliqui brevissimi & pallidi. Germen glabrum. Antheræ pallide virentes cum polline flavo. Stigmata virescunt.

## CCCCXXXII.

## CCCCXXXII.

## GALEGA DUBIA.

Ex seminibus Capensibus enata, quantumvis videbatur fore suffruticosa, perit absque fructu, ut hinc genus maneat incertum. Caules plures, adscendentes, teretes, villosi, cinerei, ramosi, femipedales & ultra. Folia alterna, pinnata, villosa, incana, sefuncialia; foliolis utrinque plus minus novem cum terminante impari, oblongis, obtusis, integerrimis, saepe emarginatis, brevissime petiolatis, parumper conniventibus, parvis. Racemi axillares, solitarii, foliis triplo longiores, teretes, villosi, superne floriferi. Flores pedicellati, plures, sparsi. Calyx viridis cum decumbentibus pilis atris. Petala purpurea, striata. Antheræ luteæ. Germen viride, glabrum.

**CAL.** Perianthium monophyllum, tubulosum, quinque dentatum; dentibus semiovatis, acutis, erectis, subæqualibus superioribus duobus sub vexillo magis remotis.

**COR.** papilionacea.

Vexillum subrotundum, amplum, emarginatum, reflexum.

Alæ oblongæ, obtusæ, concavæ, erectæ, vexillo breviores.

Carina falcata, connivens, alis latior, earundemque longitudine.

**STAM.** Filamenta decem, diadelpha (simplex & novemfidum) erectiuscula, Antheræ oblongæ, incumbentes.

**PIST.** Germen pedicellatum, oblongum, compressum. Stylus filiformis, adscendens. Stigma penicilliforme.

**PER. & SEM.** . . .

## CCCCXXXIII.

POLYPODIUM PHYMATODES. *Linn. syft. pag. 935.* *Linn. mant.*  
*pag. 307.*

*Polypodium vario modo divisum, acutum, & obtusum. Burm. zeyl. pag.*  
*196. tab. 36.*

*Filix Hemionitis phymatodes. Pluk. amalh. pag. 94. phytogr. tab. 404.*  
*fig. 1, & 5.*

*Filix Hemionitis trifida & quinquefida, bullatis foliis. Plukn. mant. pag. 82.*

Crescit in Zeylona & Indiæ orientalis aliis locis. In caldariis nostris lætissime vegetat, florens fere per totum annum, & admodum se propagans. Radix, nisi caulem malis, supra tellurem repens, eidemque per numerosas fibrillas nigricantes firmiter adhærens, teres, calatum crassa, ramosa, viridis, paleisque fuscis dense hirsuta, frondes in decursu emittit plurimas, erectas, a dimidio ad duos fere pedes altas. Stipes est teres, fuscus, nitidissimus, plus minus dimidiata frondis totius longitudinem efficiens, paleisque caducis & subulatis vestitus. Ipsa frons ut plurimum profunde pinnatifida est; laciis linearis-lanceolatis, acuminatis, nitidis, integerrimis, plus minus undulatis, suboppositis, late virentibus, longioribus quinqueuncialibus. Dorso harum imprimuntur foveolæ, in facie valde protuberantes, modo utrinque unica longitudinali serie, modo magis sparsæ, semper parumper ab invicem distantes, repletæ pulvere fructificationis fuscō-luteo, globoſo cum fascia circumdante perpendiculari striata.

## CCCCXXXIV.

## CCCCXXXIV.

**HYPOXIS STELLATA.** *Linn. Syst. pag. 326.*

*Fabricia stellata.* *Thunb. in Fabricii it. norv. 27.*

*Amaryllis capensis.* *Linn. Spec. pl. pag. 420.*

*Sisyrinchium indicum.* *Corn. canad. pag. 168.* *Moris. hist. 2. pag. 421. f. 4. t. 23. f. 9.* *Rudb. elys. 2. pag. 236. fig. 17.*

Ex Promontorio bonæ Spei. In tepidariis nostris floret Novembri, Decembri & Januario. Bulbus subrotundus, avellana minor, crassa nigricante tunica reticulata vestitus, basi affixa orbiculo crasso firmo & nigricanti, super hoc ex ambitu radiculos emittens. Folia radicalia plurima, ex latiore basi successice angustata tandemque sublinearia, inferne canaliculata, superne carinata, acuta, integerrima, striis levioribus sive lineis notata, glabra, ad horas per lentem retrorsum cartilagineo-aculeata, dimidium vel & totum pedem longa. Scapus erectus, semipedalis, basi unico folio, scapum connivendo amplexante & ultra medianam scapi partem pertingente vestitus, & hic geniculo instructus, glaber, superne trigonus. Flos unicus, terminalis, inodorus, elegans. Petala uncialia foris virent cum fasciis tribus longitudinalibus sanguineis; intus albent cum macula in basi æruginosa inclusa margini dentato atroviolaceo. Filamenta atroviolacea. Antheræ violaceæ cum polline flavo. Germen viret cum angulis sanguineis. Stylus atroviolaceus. Stigma flavescit.

CAL. nullus.

R 3

Cor.

COR. Petala sex, supera, oblonga, acuta, apice interdum magis minusve tridentata, patentissima, tria interiora paulo angustiora.

STAM. Filamenta sex, erecta, brevissima. Antheræ lineares, acutæ, erectæ, corolla duplo breviores.

PIST. Germen inferum, oblongum, triquetrum, corolla duplo brevius. Stylus crassus, longitudine antherarum. Stigma trifidum, laciinis linearibus, descendantibus, adnatis.

PER. & SEM. . . .

### CCCCXXXV.

HYPOXIS SERRATA. *Linn. Syst. pag. 326.*

Fabricia ferrata. *Thunb. in Fabricii it. norv. 31.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In tepidario apud nos floret a Septembri ad Decembris. Bulbus subrotundus, pisi magnitudine, basi senescens, albus, vestitus tunica crassa nigraque. Folia radicalia plura, graminea, ex latiore basi sensim angustata, acuta, canaliculata, glabra, flaccida, ad oras aculeis minimis reflexis albidisque munita, pedalia & semipedalia. Scapi plures, simplicissimi, erecti, uniflori, teretiusculi, semipedales, purpurecentes; circa medium instructi bracteis duabus oppositis, linearibus, acutis, subuncialibus, glabris, virentibus, ceu spatha diphylla remota. Calyx alias nullus. Petala foris virent, intus lutea. Stamina tota lutea. Germen viret. Stigma flavescit.

CAL. nullus.

COR.

**COR.** Petala sex, supera, lanceolata, acuta, striata, plana, subæqualia, patentissima, dein reflexa, in fructu demum erecta & conviventia, tria exteriora apice subulata.

**STAM.** Filamenta sex, erecta, brevissima. Antheræ oblongæ, erectæ, magnæ.

**PIST.** Germen inferum, oblongum, triquetrum. Stylus crassus, erectus. Stigma infundibuliforme, trifidum; laciniis subrotundis, obtusis, planis, patulis.

**PER.** . . .

**SEM.** numerosa, subrotunda.

### CCCCXXXVI.

**HYPOXIS ALBA.** *Tab. 2. fig. 1. Linn. syst. pag. 326.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret in caldariis & tepidariis nostris a Septembri ad Novembris. Tota glabra. Bulbus subrotundus, vestitus tunica crassa & nigrescente. Folia radicalia plura, subulata, teretia, acutula, antice sulculo exsculpta, semipedalia. Scapus ut plurimum unicus, foliis brevior, erectus, uniflorus, nec unquam in individuis nostris visus bifidus; infra medium donatus bracteis duabus oppositis, sublinearibus, acutis, virentibus, altera longiore unciali, ceu spatha diphylla remota. Calyx nullus. Petala lanceolata, acuta, patentissima, alba, tria exteriora foris virentia. Et reliqua, uti in præcedente Hypoxide ferrata.

### CCCCXXXVII.

CCCCXXXVII.

## THEOPHRASTA LONGIFOLIA.

Tres coluntur Theophrastæ species in horto Cæsareo Schönbrunnensi, una Plumieri planta, aliæ duæ novæ species, multo elegantiores, quarum unica hæc huc usque floruit mense Novembri; omnes ex Caracasano territorio adlatæ, & plures quidem individuæ, sempervirentes & lœtissime in caldariis vegetantes. Hæc in patria truncum habet cruris crassitie, tandem vigintipedalem, simplicissimum semper sine omni ramo; cuius summam dumtaxat partem folia ornant, ad intervalla frondosa sive inordinate subverticillata; ex quorum summorum centro truncus elongatur, stipulis subulatis parvis & deciduis vestitus, & ex apice nova foliorum frons, primo minimorum falciculatimque erectorum, dein patentissimorum. Summus hic truncus stipulatus viret; ad folia dein fuscescit & glaber est; infra folia tandem ex fusco evadit cinereus cum fissuris purpurascientibus. Folia brevissimo, tereti, ex purpureo fuscescenti crassoque petiolo insistunt; nervumque medium habent validum, dorso teretem & protuberantem; quibus mediis, longissima utut sint, possunt sese in situ horizontali patentissima sustinere. Sunt porro elongate lanceolata, utrinque acuta, nitida, firma, lœte virarentia, venis subperpendicularibus numerosis a nervo medio ortis & versus oras protenfis insignita, aculeato-serrata, longiora sesquipedalia & ultra lataque uncias tres. Racemi simplices, plus minus triunciales, multiflori, patentissimi, bracteolis minutissimis instructi; sparsi in trunco inter frondes foliorum. Flores parvi; calyce viridi-fusco; corolla aurantiaca, foris multo saturatius colorata; antheris ex flavo pallentibus. In pluribus etiam floribus deest una quinta pars numeri.

CAL.

**CAL.** Perianthum monophyllum, infundibuliforme, erectiusculum, parvum, ad unam tertiam quinquefidum; laciniis subrotundis, obtusis, parum concavis, fimbriato-ciliatis.

**COR.** monopetala, rotata, calyce multo amplior, decidua. Tubus brevis. Limbus quinquefidus, patentissimus; laciniis subrotundis, obtusis, concavis.

Nectarii glandulæ quinque, ovatæ, obtusæ, parvæ, apice crassiores, incumbentes incisuris corollæ.

**STAM.** Filamenta quinque, connata in unam columnam subcylindricam, erectam, brevem, apice divisam & expansam in peltam planam compositam ex quinque radiis inverse triangulis crenatis & margine antheriferis. Antheræ in quolibet triangulo geminæ, adnatae, oblongæ, fulco externo univalves.

**PIST.** Germen superum, oblongo-ovatum, reconditum in fundo tubi filamentorum. Stylus brevis, erectus. Stigmata duo, subulata, erecta.

**PER.** subrotundum, . . .

**SEM.** plura, . . .

### CCCCXXXVIII.

**GALAXIA OVATA.** *Linn. Syst. pag. 609.* *Thunb. nov. gen. pag. 51.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In tepidariis nostris floret Novembri & Decembri. Bulbus ovatus, pisi magnitudine, tunica crassa forti striata fuscescente una alterave vestitus, caulinum emittit filiformem, pertingentem ad usque terræ superficiem, nonnunquam ultra porre-

S

stum,

Etum, & folio unico (nonnunquam dupli) radicali instructum, in summitate gerentem folia duo opposita majora, quorum quodlibet subjacet fasciculo proprio foliorum minorum alternantium & mutuo basibus suis amplexantium, inter quæ successiue flores prodeunt erecti. Omnia hæc folia primo adspectu unicum mentiuntur inordinatum fasciculum. Sunt autem lanceolato-oblonga, acutula, integerima, ad oras subcartilaginea, glabra. Si bulbus sub ipsa mox superficie terræ hæret, tunc plerumque totus caulinus supra tellurem attollitur, rarius etiam caulinus vix ullus est; si vero profundius hæret, pars caulinuli infra terram est; folium autem radicale semper terræ proximum est. Ex mille forte plantulis, qui hoc anno floruerunt, sic judicavi. Flores sessiles, erecti. Spatha univalvis, ovata, acuminata, connivens. Corolla infundibuliformis; tubo gracili, modo longitudine spathæ, modo duplo longiore, ad faucem flavescentes. Limbus sexfidus, flavus, purpureus aut violaceus; laciniis patentissimis, subæqualibus, oblongis, ovatis vel obverse ovatis, basi semper luteis. Filamenta tria, connata in unum corpus, tubo corollæ paulo longiora. Antheræ luteæ. Germen inferum. Stigma trifidum, flavum; laciniis bisidis, dentatis.

## CCCCXXXIX.

LITHOSPERMUM TENUIFLORUM. *Linn. syst. pag. 85. Linn. suppl. pag. 130.*

Sub titulo Lithospermi ægyptiaci semina accepi. Floret apud nos sub dio Junio & Julio. Corollis albis differt a Lithospermo tenuifloro Linnaei, cæterum sic similis, ut non ausim separare. Radix ramosa, annua. Caulis ascendens, ramosus, spithameus, pilis appressis asper. Folia sunt sessili.

sessilia, alterna, anguste lanceolata, obtusula, utrinque & ad oras hispidula, sordide virentia, plus minus sescuncialia, in summis caule ramisque successive breviora & una cum floribus spicam secundam foliosam formantia. Flores parvi, sessiles, axillares, solitarii. Calyx hispidulus, profundissime quinquepartitus, in fructu valde auctus; foliolis subulatis, acutis, carinatis, erectis. Corollæ tubus longitudine calycis, virescens; limbi minutis & albi laciniis oblongis, obtusis, patentissimis. Semina cinerea, ova-ta, pedicellata, scabra.

## CCCCXL.

## TABERNÆMONTANA PERSICARIÆFOLIA.

Crescit in insula Mauritii; florens in caldariis nostris Julio & Augusto; at fructum non perficit, qui glaber & congenerum est. Tota glabra est, & abunde lactescit. Arbuscula decempedalis, ramosa; trunco erecto, brachium crasso; cortice cinereo; ramis teretibus, fere dichotomis. Folia sunt opposita, breviter petiolata, anguste vel linearis lanceolata, utrinque acuminata, integerrima, nitida, late virentia cum principibus venis nervoque medio pallidis, subundulata, majora semipedalia & sescunciam lata. Pedunculi axillares, ramosi, multiflori, foliis duplo breviores. Bracteæ ad pedicellos lanceolatæ, acutæ, parvæ. Calycis virentis parvi & quinquepartiti laciniæ lanceolatæ, acutæ & erectæ. Corollæ ochroleucæ tubus erectus, circa medium coarctatus, fere longitudine limbi quinquefidi & reflexi; cujus laciniæ sunt cuneiformes, obtusæ, superne leviter undulatæ, obliquæ. Genitalia congenerum, corollæ tubo inclusa.

## CCCCXLII.

MORÆA VEGETA. *Linn. Spec. pag. 59.* *Ait. kew. vol. 1. pag. 74.*

*Moræa spatha* biflora aut uniflora, caule planifolio, floribus majoribus aut minoribus. *Mill. ic. tab. 238. fig. 1. & 2.*

*Iris plumaria.* *Linn. Syst. pag. 89.* *Thunb. diff. pag. 15. num. 16.*

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Aprili & fructum maturat sub finem Maji. Tota glabra est. Bulbus avellanæ magnitudine, subrotundus, tunica reticulata & cinereo-fuscidente vestitus. Folium radicale unicum (vel duo, quorum alterum triplo brevius) sesquipedale vel etiam bipedale, sublineare, flaccidum, hinc recurvatum in terram, acutum, magis minusve canaliculatum, integerrimum. Scapus semipedalis aut ad summum pedalis, teres, flexuosus, erectiusculus, emittens ad nodos spathas amplexantes, striatas, acutas, erectas, scariosas, albidas & fuscunciales, ex quibus successivè plusculi flores attolluntur pedicellati, erecti, subodorati, diametro plus minus fuscunciali. Petala sex, supera, ex cæruleo violacea, unguibus erectis, laciniis patentissimis & acutis, quarum tres alternæ sunt obverse ovatae, triplo latiores, & ungue donantur canaliculato luteo; tres aliæ sunt oblongæ. Stigma corollæ concolor, trifidum; laciniis bifidis, acutis, erectis, longitudine petalorum. Antheræ lineares, cæruleæ. Filamenta alba. Germen teres, gracile & longitudine corollæ abit in capsulam oblongam, obtuse trisulcatam, ad semina torosulam, novem lineas longam, trilocularem, trivalvem, seminibus refertam parvis, luteis, punctatis, hinc convexis, inde angulatis.

## CCCCXLII.

## CCCCXLII.

## MORÆA FERRARIOLA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In caldario apud nos floret Decembri. Tota glabra est. Radix est tuber fuscetens, carnosum, glabrum, difformiter subrotundum, depresso, unciam unam alteramve latum. Folium radicale nullum; cuius loco est vagina albida, biuncialis, purpureo-striata. Folia caulina plura, alterna, erectiuscula vel patula, acuta, striata, conniventia, superne ensiformi-linearia & solida, pleraque altitudine caulis; inferiora tota linearia, basi vaginantia, angusta; superiora, successive breviora, inferne latiora, basi magis ventricosa & amplexicaulia, incurvata. Caulis pedalis, teres, simplex, gracilis, flexuosus, debilis. Flores plerumque duo, terminales, erecti, vix odorati, mutuo ad paucos dies succedunt; axillares alii nulli. Spatha membranacea, hyalina, convoluta, viridis, longitudine germinis, pro quolibet flore una; utraque inclusa folio terminali inflato & conniventi. Petalorum unguis foris virescunt, intus striis atroviolaceis variegantur. Laminæ petalorum latiorum flavent cum mixto virore cumque striis punctisque violaceis, in oris & cuspide toto sordide violaceæ. Laminæ angustiorum flavedine punctisque carent. Filamenta ex violaceo albent. Antheræ sordide violaceæ sunt cum polline luteo. Germen viret. Stigma ex purpureo sordet.

CAL. Spatha univalvis, acuta.

S 3

Cor.

**COR.** Petala sex. Ungues cuneiformes, canaliculati, erecti, tres exteriores paulo longiores. Laminæ obverse ovatæ, patentissimæ, crispæ, in acumen longum revolutumque cuspidatæ, alternæ duplo angustiores.

**STAM.** Filamenta tria, in unum corpus connata, unguibus petalorum longiora; apice divisa, patentissima, locata & abscondita infra stigmatis laciniias. Antheræ ovales, obtusæ, subtus fulcatæ & dehiscentes.

**PIST.** Germen pedicellatum, subulatum, trigonum, erectum, inferum, longissimum. Stylus filiformis, per filamentorum tubum transiens. Stigma trifidum, patentissimum; laciniis bifidis, apice erectis, fimbriatis, accretam habentibus subtus membranam subrotundam planam & ciliatam.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCCXLIII.

#### MIMOSA CARACASANA.

Crescit in America torrida ad Caracas. In caldariis nostris floret a Septembri ad Januarium. Fructus ignotus est. Frutex inermis, debilis, erectus, octopetalis & ultra, ramulosus. Rami teretes, virgati. Stipulae lanceolatae, acutæ, erectæ. Folia alterna, bipinnata. Costa communis biuncialis vel paulo longior. Folia inferiora quinquejuga, summa trijuga. Pinnæ multijugæ, a duodecim ad viginti pinnulas locantes oblongas, obtusas, plus minus trilineares. Glandulæ in foliis nullæ. Pedunculi communes graciles, biunciales, axillares, solitarii vel plusculi. Flores capitati,

ti, sessiles, inodori, omnes hermaphroditici. Calyx viret cum glandulis fuiscis. Corolla albet cum apice virescente. Filamenta sunt purpurea. Antheræ flavent. Stipulæ, petioli, pinnulæ, pedunculi, & ramuli juniores superne, ad microscopium brevissime hirsuta sunt.

**CAL.** Perianthium pentaphyllum vel hexaphyllum; foliolis oblongis, obtusis, concavis, erectis, ciliatis per glandulas globosas.

**COR.** monopetala, infundibuliformis, calyce duplo longior, semiquinquefidus vel semifexfidus; laciniis lanceolatis, acutis, superne reflexulis.

**STAM.** Filamenta circiter octodecimi, capillaria, ipsa tantum basi in unum corpus connata, petalo multoties longiora. Antheræ oblongæ, incurvantes.

**PIST.** Germen oblongum, compressum, glabrum. Stylus filiformis, eretus, longitudine staminum. Stigma simplex, obtusum.

**PER. & SEM.** . . .

#### CCCCXLIV.

#### MIMOSA PORTORICENSIS.

Crescit sponte in insula Portorico. In caldariis nostris floret Decembri & Januario. Frutex totus inermis, duodecimpedalis, eretus; ramis teretibus, superne angulatis. Folia sunt alterna, patentissima, bipinnata sine impari. Costa teres, tri-vel quadriuncialis, glandulis destituta. Pinnæ utrinque ut plurimum quinque, oppositæ, plus minus biunciales. Pinnulæ utrinque plus minus quinque & viginti sine impari, linearis-oblongæ,

in-

integerimæ, obtusæ, ciliatæ, utrinque glabræ, tri - vel quadrilineares. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, planæ, breves, patentissimæ. Pedunculi axillares aut laterales, solitarii vel gemelli, teretes, patuli, longitudine foliorum. Flores in capitulum globoſum collecti, inodori, omnes hermaphroditi, monadelphi, polyandri. Calycis profundissime ſecti laciniæ quinque, oblongæ, acutulæ, ciliatæ, pallide virentes. Corolla monopetala, campanulata, ſemiquinquefida, calyce fere duplo longior, virens; laciniis ovatis, revolutis. Filamenta circiter quadraginta, capillaria, erecta, longiflora, alba. Antheræ flavæ. Germen viride, oblongum. Stylus capillaris, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex. Legumen compressum, ad oras incrassatum. Semina plura, ovata, nitida, ex nigro fuſcoque variegata.

## CCCCXLV.

## PSORALEA EMPHYSODES.

Crescit ad Caracas. Floret in caldariis nostris Decembri & Januario. Caulis, rami, pedunculi, petioli parcissime, foliorum dorsum tuberculis e flavo fuſcescentibus & glandulosis obſidentur, quæ foliorum faciem quoque parum elevate; calyx iisdem glandulis magis oblongis. Frutex duodecimpedalis, ramosus, cortice fuſcescente. Folia alternatim ſparsa, glabra, pinnata cum impari. Costa plus minus biuncialis. Foliola utrinque plus minus septem, obverse ovata, obtusa cum parvo & innocuo mucrone, integerima vel ad lentem obiter & obtuse ferrulata, petiolata, quadrilinearia. Pedunculi communes axillares & terminales, solitarii, patentes, graciles, a tribus lineis ad duas uncias longi, apice spicam gerentes

mul-

multifloram densam breve inque. Bracteæ ad singulos flores lanceolatæ, acutæ, concavæ, sessiles, calyce duplo breviores. Flores sessiles, inodori. Calycis viridis & hirsuti glandulæ sordide flavescent. Corolla saturatissime purpurea tota, vel tota alba, vel alba cum vexillo partim purpureo. Filamenta & styli pars inferior albent. Antheræ & pars styli superior purpurascunt. Germen & styli pars inferior pilosa dumtaxat sunt, ubi vexillum respiciunt.

**CAL.** Perianthium monophyllum, oblongum, semiquinquefidum, persistens; laciñiis linearibus, æqualibus, acutis, erectiusculis.

**COR.** papilionacea, longitudine calycis.

Vexillum subrotundum, acutulum, connivens, ascendens, unguiculatum.

Alæ oblongæ, obtusulæ, erectæ, fere longitudine vexilli.

Carina vexillo amplior, connivens, acutula, subtus falcata, situ alarum.

**STAM.** Filamenta decem, sola basi connata omnia in unum corpus, cæterum fissa, subulata, erecta. Antheræ ovatæ, obtusæ, erectæ.

**PIST.** Germen ovatum, compressulum. Stylus subulatus, situ & longitudine staminum. Stigma simplex, obtusum.

**PER.** Legumen. . . .

**SEM.** . . . .

## CCCCXLVI.

## PSORALEA BIPEDUNCULATA.

Orta ex patria ignota ante aliquot annos, inque olla vegetans, florebat sub dio Septembri & Octobri, semina perficiebat in tepidario Decembris, & dum post elapsas paucas hebdomadas investigare volebam, utrum fruticosa esset evasura, uti videbatur, aut aliam vitam ageret, ex horto Cæsareo disparuerat una cum seminibus tota planta, nec huc usque recuperata. Caules erant bipedales cum ramis teretibus, qui, ut & petioli & pedunculi, ad lentem erant villosuli. Stipulae ad folia utrinque solitariæ, subulatae, erectæ, fuscæ. Folia alterna, petiolata; ternata, parva; foliolis oblongis, obtusis, integerimis, glabris, petiolatis. Racemi axillares, erecti, multiflori, unciales aut paulo longiores; saepe bini, quando tunc alter brevissimus est, & pauciflorus, vel etiam dumtaxat uniflorus. Flores parvi, inodori. Pedicelli breves, bracteola minuta & lanceolata suffulti. Calyx rufescit cum pilis appressis albis. Corolla purpurea est. Vexillum striatum. Legumen parvum, striatum.

**CAL.** Perianthium basi tubulosum, quinquefidum, persistens; denticulis subulatis, acutis, æqualibus, erectis; duobus superioribus sub vexillo multo minus profunde incisis.

**COR.** papilionacea.

Vexillum subrotundum, integerimum, patens.

Alæ oblongæ, obtusæ, concavæ, erectæ, vexillo paulo longiores.

Carina dipetala, alis similis.

STAM.

**STAM.** Filamenta decem, omnia connata in unum corpus, erecta. Antheræ subrotundæ, fulco notatæ.

**PIST.** Germen ovatum, compressum. Stylus filiformis, adscendens. Stigma capitatum, obtusum.

**PER.** Legumen late lanceolatum, acutum, compressum, uniloculare, bivalve.

**SEM.** unicum, ovatum, compressum, nitidum.

### CCCCXLVII.

#### LACHENALIA VIOLACEA.

Ex Promontorio bonæ Spei. In caldariis apud nos floruit Decembris & Januario. Tota glabra. Bulbus subrotundus, tunicatus, albus, avellana major. Folia radicalia duo, opposita, oblonga, acutula, crassa, patentia, integerrima, basi vaginantia & mutuo in cylindrum amplectentia, lineata, dorso tota quanta maculata, maculis in vagina pallente ferrugineis, cæterum saturatius virentibus, facie immaculata, cum vagina fere pedalia, altero duplo angustiore. Scapus sejquipedalis, teres, crassus calamum, maculis oblongis fuscescentibus adspersus, adscendens. Racemus erectus, semipedalis & ultra, apice bracteis sterilibus terminatus. Pedicelli proprii numerosi, uniflori, graciles, semunciales, albi, patentissimi. Bracteæ parvæ, acutæ, patulæ, ortu concavæ. Flores parvi, cernui, triquetri cum basi planiuscula, odore Rutæ. Petala exteriora virent. Petala interiora, filamenta & stylus sunt violacea. Antheræ sunt rufæ.

CAL. nullus.

COR. Petala sex, erecta, obtusa, omni callo ad apicem destituta. Tria exteriora oblonga, concava. Tria interiora cuneiformia, summo apice parumper reflexa, exterioribus paulo longiora, quibuscum in sola plana corollæ basi connata.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, ex basi corollæ orta, eademque paulo longiora. Antheræ ovatæ, obtusæ, erectæ.

PIST. Germen superum, subrotundum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex, acutum.

PER. & SEM. . . .

### CCCCXLVIII.

#### LACHENALIA LUTEOLA.

Ex Promontorio bonæ Spei. In caldariis & tepidariis nostris floret ab Octobri ad Februarium. Bulbus subrotundus, tunicatus, albidus, fere uncialis diametri. Folia radicalia duo, opposita, acuta, integerrima, glabra, patula, carnosula, superne reflexa; alterum ensiforme, plusquam unciam latum; alterum sublineare, triplo angustius. Ex centum forte individuis plantis, quæ successive floruerunt, duæ solæ habuerunt folia maculis fuscis adsperla; reliquæ eadem immaculata. Scapus erectus, teres, calamum crassus, fuscescens, immaculatus, superne longe racemosus. Bractæ sessiles, acutæ, concavæ, patulæ, parvæ. Pedunculi uniflori, erectiusculi, quadrilineares. Flores magis minusve cernui, adhucdum clausi toti sunt coccinei, increscentes dein toti cum virore aliquo evadunt lutei, cum

suf-

suffusa tantum in petalis exterioribus obsoleta sœpe purpura. Antheræ sunt fuscopurpureæ.

CAL. nullus.

COR. Petala sex. Tria exteriora oblonga, obtusa, concava, erecta, fere ad unam tertiam interioribus breviora, quibuscum basi connata. Tria interiora spathulata, obtusissima, concava, erecta, cum limbo patentissimo. Nulla ullo callo ad apicem donata.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, corollæ longitudine. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, trigonum, superum. Stylus filiformis, longitudo staminum. Stigma subtrifidum, obtusum.

PER. & SEM. . . .

### CCCCXLIX.

#### LACHENALIA PATULA.

Ex Promontorio bonæ Spei est; florens in caldariis nostris Januario & Februario. Tota glabra est. Bulbus subrotundus, tunicatus, fuscus, pisi magnitudine. Folia radicalia duo, lineari-lanceolata, acuta, canaliculata, integerrima, valde crassa, pulpo-carnosa, inferne mutuo amplexantia & erecta, supra medium reflexa, scapo breviora, atrovirentia, immaculata. Scapus spithameus, teres, calamo triplo angustior, erectiusculus, viridis, maculis ferrugineis obsoletius variegatus, superne racemosus & multiflorus. Pedicelli proprii graciles, albi, erectiusculi, unam tertiam unciae partem longi. Bracteæ minutæ, rotundatæ, concavæ, obtusissimæ, virentes cum

fascia superne transversa ferruginea; bractea infimi floris acuminata & majore. Corolla, filamenta & stylus albent. Petala utrinque infra apicem maculantur lineola longitudinali, exteriora viridi, interiora rosea. Antheræ & germen flavent.

**CAL.** nullus.

**COR.** Petala sex. Tria exteriora lanceolata, acutula, parum concava, erectiuscula cum apicibus callosis & patulis. Tria interiora cuneiformia in latum apicem, obtusa, plana, unguibus erecta, cæterum patentissima, sœpe reflexa, petalis exterioribus longiora, quibuscum basi connata.

**STAM.** Filamenta sex, subulata, declinata cum apicibus ipsis adscendentibus, longitudine petalorum exteriorum. Antheræ oblongæ, obtusæ, erectæ.

**PIST.** Germen superum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex, obtusulum.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCCL.

**GLADIOLUS MERIANUS.** Thunb. *diff. pag. 10.*

*Antholyza Meriana.* Linn. *syst. pag. 87.* Trew. *ic. tab. 40,*

Ad Promontorium bonæ Spei sponte crescit. Apud nos floret Majo. Totus glaber. Bulbus subrotundus, depresso, tunica reticulata fusca vestitus, juglandis volumine. Folia radicalia plus minus quatuor, disticha, ensiformi-linearia, integerrima, acuta, erecta, firma, striatula, nervo

me-

medio utrinque protuberante, obliqua, ad oras & nervum medium s̄epe badiæ, cæterum saturate viridia, scapo breviora. Scapus sesquipedalis, teres, erectus, ex fusco purpureo, spathis vagis amplexantibus viridibusque vestitus. Flores tres vel plures, distichi, sessiles, inodori, tres uncias longi. Spatha uncialis, convoluta, erecta, bivalvis; valvulis ova-to-lanceolatis, acutis, subæqualibus, virentibus cum apice & oris rubentibus. Corolla tota uniformiter miniato-coccinea. Filamenta rubella. Antheræ atrosanguineæ. Germen viride. Stigma rubellum.

CAL. Spatha bivalvis.

COR. monopetala. Tubus spatha paulo longior, angulato-falcatus, erectus. Faux incurva, tubi longitudine, infundibuliformis, compres-sula. Limbi sexfidi & campanulati laciniæ oblongæ, æquales, obtusulæ, planæ, patulæ, fere longitudine faucis.

STAM. Filamenta tria, incurva, ad dorsum petali posita, quo paulo breviora. Antheræ incumbentes, sagittatæ.

PIST. Germen inferum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, situ & longitudine staminum. Stigma trifidum; laciniis filiformibus, bifidis, patentissimis.

CCCCLI.

### GLADIOLUS IRIDIFOLIUS.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; in nostris tepidariis florens Majo & Junio. Totus glaberrimus. Bulbus depresso-subrotundus, se-secundialis diametri, tunica fusca tectus. Folia radicalia plus minus septem, di-

disticha, basi vaginantia, ensiformia, acuminata, integerrima, lineata, nervo medio utrinque protuberante, erecta, valde firma, longitudine inæqualia, longissima bipedalia & novem lineas lata. Scapus teres, erectus, calatum crassus, inferne vaginatus, cæterum nudus, ad apicem spicæ usque tripedalis. Spica circiter duodecimflora, erecta, leviter flexuosa, tandem pedalis; floribus inodoris; & spathis, nec corollis, distichis. Spathæ bivalves; valvulis lanceolatis, acuminatis, erectis, oppositis, conniventibus, inferne virentibus, superne flaventibus cum suffusa rubidine. Corolla fere tres uncias longa & pallidissime carnea, cum sauce leviter flavescente. Filamenta alba cum apice roseo. Antheræ violaceæ. Stylus albus.

CAL. Spatha bivalvis.

COR. monopetala. Tubus cylindricus, erectus, longitudine spathæ; hinc incurvatus in faucem successive ampliatam, compressulam, & longitudine ipsius tubi. Limbus sexfidus, patens, longitudine faucis: laciinis oblongo-lanceolatis, acutulis, planis, subæqualibus.

STAM. Filamenta tria, subulata, adscendentia, petalo paulo breviora. Antheræ oblongæ.

PIST. Germen inferum. Stylus filiformis, longitudine & situ staminum. Stigma trifidum; lacinia una remota & demissior; omnes filiformes & bifidæ.

CCCCLII.

## GLADIOLUS TUBULOSUS.

Elegans planta, spica sua eminus Lachenaliam pendulam aut Aloën quandam referens, sponte crescit ad Promontorium bonæ Spei, apud nos floruit in tepidario mense Aprili. Tota glabra est. Bulbus ovato-subrotundus, avellanæ magnitudine, tunica fusca tectus. Folia radicalia tria vel quatuor, erectiuscula, ensiformi-linearia, integrerrima, obliqua, latae virentia, longius fere sesquipedale, brevius temipedale. Scapus lateralis, teres, foliis longior, erectus, parum flexuosus, foliis paucis vaginantibus instructus, superne laxe spicatus ex floribus plus minus quinque, remotulis, sessilibus, cernuis, inodoris, secundis, nitidis, fere biuncialibus. Spatha trivalvis; valvulis acutis, sordide purpurascenscentibus; exteriore ovata; interioribus linearí-lanceolatis, corolla quadruplo brevioribus. Corolla saturate coccinea, laciniis interioribus pallidioribus. Filamenta alba. Antheræ violaceæ. Germen viride. Stylus albus. Stigma rubens.

CAL. spatha trivalvis.

COR. monopetala, ex tubo angusto & valde incurvo abiens in faucem cylindricam, rectissimam, longam, desinentem in limbum brevem, sexfidum, obtusum, parum patentem; cuius laciniæ omnes sunt æquales & ovatæ, sed tres alternæ interiores.

STAM. Filamenta tria, subulata, adnata toti tubo corollæ, dein libera, longitudine faucis. Antheræ hastatæ, acutæ.

PIST. Germen inferum, oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, corolla paulo longior. Stigma trifidum; laciniis bifidis, patentibus.

PER. & SEM. . . .

## CCCCLIII.

GLADIOLUS ANGUSTUS. *Linn. syst. pag. 86. Thunb. diff. pag. 19.*

*num. 21.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Majo. Tootus glaber. Bulbus subrotundus, depresso, alter alteri impositus, tunica fusca vestitus, avellana major. Folia ensiformi-linearia, acuta, erecti- ucula, integerrima, striata, nervo medio utrinque prominente; radicalia plerumque duo, longissime vaginantia, sesquipedalia; caulina duo, multo breviora, vaginantia. Caulis bipedalis, simplex, teres, flexuosus, superne reclinatus. Flores fere tres, sessiles, inodori, quadriunciales, distantes, subsecundi; rhachi subangulata. Spatha viridis, nitida, biuncialis, acuta, convoluta, trivalvis; valva interiore parva & hyalina. Petali primo sulphurei, dein albicantis, tubus spatha longior, incurvulus. Limbi sexfidi & elongato-campanulati laciniæ lanceolatæ, acutæ, planæ, patentes; quarum summa reliquis multo latior est; tres inferiores profundius coloratæ, angustiores, breviores, inque disco ornatæ macula triangulari purpurea cum centro ochroleuco. Antheræ sulphureæ. Stigma trifidum, pallens; laciniis ad apicem lateſcentibus.

## CCCCLIV.

## CCCCLIV.

GLADIOLUS PLICATUS. *Linn. syst. pag. 86. Thunb. diff. pag. 20.*  
*num. 24.*

- Ixia foliis linear-i-gladoliatis, floribus alaribus & terminalibus. *Mill. ic.*  
*tab. 155. fig. 1.*
- Sisyrinchium latifolium, floribus patentibus, vix difformibus. *Breyn. prodr.*  
*3. pag. 22. tab. 9. fig. 2.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos floret Aprili & Ma-  
jo. Bulbus subrotundus, tunica fusca fibrosa tectus, avellana major. Fo-  
lia radicalia plura, ensiformia, acuta vel obtusa, villosa, ciliata, val-  
de plicata, nervosa nervis a basi laterali interiore ortis, plus minus semi-  
pedalia, inferiora breviora, subdisticha, petiolis longis vaginantia. Sca-  
pus compressulus, villosus, pedalis, erectus, parumper flexuosus. Flores  
sessiles, alterni, erecti, ortu distichi, inflexione subsecundi, odorem spi-  
rantes Hyacinthi orientalis cum mixto cinnamomo, plus minus septem. Spa-  
thæ trivalves, virides, villosæ, ad oras ciliatæ; valvulis conniventibus,  
longitudine fere æqualibus; quarum exterior lata est, & tridentata; interio-  
res duæ lanceolatæ, integerrimæ & acuminatæ. Corolla monopetala & in-  
fundibuliformis. Tubus calyce triplo longior, valde parum incurvus, su-  
periora versus paulatim ampliatus, saturatissime violaceus. Limbi subcam-  
panulati, subæqualis, sexfidi, & longitudine tubum fere æquantis laciniæ  
sunt obverse ovatae vel magis oblongæ, obtusæ, patentes; tres alternæ sub-  
interiores, paulo latiores, undulatæ, pallidæ cum suffuso violaceo colore;  
tres reliquæ violaceæ, mucrone innocuo terminatae, planæ. Ex exterio-

ribus una, quæ inferior videtur, & duæ interiores hujus latus claudentes insigniuntur basi fasciis duabus violaceo-purpureis, in illa in communem apicem concurrentibus, in hisce autem ex adverso divaricatis. Antheræ & Stigma trifidum cum apicibus latescentibus atroviolacea sunt. Germen est inferum, subrotundum & sericeo-hirsutum.

## CCCCLV.

## GLADIOLUS PLICATUS ANGUSTIFOLIUS.

Pro mera prioris varietate habeo. Floret eodem tempore. Bulbus idem, paulo minor. Folia radicalia plura, plus minus septem, anguste ensiformia, acuta, erecta, mollia, ciliata, nervosa, plicata, longitudine diversa, longiora pedalia, petiolis vaginantibus longis innixa. Scapus compressulus, erectus, parum flexuosus, villosus, longitudine foliorum. Flores tres vel quatuor, sessiles, erecti, similes structura & colore prioribus, sed duplo minores multoque pallidiores. Spathæ eadem.

## CCCCLVI.

## GLADIOLUS BREVIFOLIUS.

Ex Promontorio bonæ Spei. Totus glaber floret Novembri. Bulbus depresso-subrotundus, tunica fusca vestitus. Caulis pedalis, erectus, flexuosus, teres, gracilis, vaginatus. Folia radicalia nulla. Caulina fere quatuor, tota vaginantia, striatula, supra vaginam brevissima, acuta, cauli appressa, fere spathæformia, ut planta videatur aphylla. Spica termi-

na-

nalis, simplex, fere septemflora, flexuosa, erectiuscula, disticha, floribus secundis. Spathæ bivalves, lanceolatæ, acutæ, striatulæ, conniventes, erectæ, subæquales, exterior fuscescens; interior viridis. Corolla monopetala, rubra, infundibuliformis, incurvata, patens. Tubus basi gracilis & albus. Limbi laciniæ tres superiores latissime lanceolatæ, obtusulæ; intermedia longiore & connivente, cuius utrinque lateri externo laterales accumbunt. Tres inferiores duplo angustiores & breviores antrosum patent. Filamenta alba & petalis fere duplo breviora. Antheræ lineares, erectæ, cæruleæ. Stylus capillaris, staminibus longior, albus. Stigma triplex, laciniis linearibus & apice latefcentibus. Germen inferum, oblongum, teres, obiter sexfulcatum.

## CCCCLVII.

GLADIOLUS TRISTIS. *Linn. syst. pag. 86.* *Thunb. diff. pag. 11.*  
*num. 8.*

Gladiolus foliis linearibus fulcatis, floribus alternis, petalis acutioribus.  
*Mill. ic. pag. 157. tab. 235. fig. 1.*

Ex Promontorio bona Spei. Floret apud nos Januario & Februario. Totus glaber. Bulbus avellanæ magnitudine, tunica fulca vestitus. Folia longe vaginantia, nervose striata, linearia, alterna, longius bipedale, ex fisso utroque ad nervum usque medium margine quadrialata, superne spirali-  
ter torta; infimum totum vaginans & breve; summum vere caulinum. Sca-  
pus teres, erectus, superne flexuosus, fere longitudine foliorum. Flos aut  
terminalis unicus, aut pauci alternantes, odoratissimus, parum nutans.

*Spatha triphylla*, viridis; valvulis elongate lanceolatis, acutis, erectis, convolutis, subæqualibus. Corollæ uniformiter ochroleucæ omnisque maculæ expertis tubus cylindricus, incurvus & longitudine spathæ. Faux anguste infundibuliformis, longitudine tubi, compressula, abiens in limbum sexfidum, patulum, ejusdem longitudinis; laciniis lanceolatis, acutis, planis, æqualibus, sola summa duplo latiore. Antheræ oblongæ, erectæ, corollæ concolores, eademque breviores. Stigmatis trifidi laciniæ apice lateſcentes.

## CCCCLVIII.

GLADIOLI TRISTIS VARIETAS. *Linn. Syſt. pag. 86.* *Thunb. diff.*  
*pag. II. num. 8.*

Creſcit ad Premontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidariis mense Aprili. Totus glaber. Bulbus avellanæ magnitudine, alter alteri impositus, tunica fusca teſtus. Scapus simplex, erectus, gracilis, pedalis, superne inflexus, teres, plerumque uniflorus, basi spathis, dein foliis paucis vaginatus. Folium infimum scapo longius, reliqua brevia sunt. Sunt autem omnia linearia, acuta, erectiſcula, firmula, acute quadrialata. Spatha diphylla; foliolis subæqualibus, lanceolatis, acutis, conniventibus, erectis, corolla duplo longioribus, virentibus cum oris pallidis. Corolla tota ſordide & triste cæruleſcens, monopetalæ, ſupera, ſubringens. Tubus infundibuliformis, incurvus. Limbi sexfidi laciniæ lanceolatæ, acutæ, superne patulæ, ad oras crifpatulæ; tribus exterioribus paulo longioribus; duabus inferioribus interioribus intus flaveſcentibus cum adſpersis punctis atropurpureis; tali etiam lacinia exteriore infima, fed minus saturate colorata

rata parcusque punctata. Filamenta tria, alba. Antheræ lineares, pallidæ, comprehensæ a lacinia corollæ interiore summa tanquam a galea. Gerumen viride, ovatum. Stigma pallidum, tripartitum in lacinias lanceolatas.

## CCCCLIX.

## GLADIOLUS GRACILIS.

An *Gladioli tristis* varietas? *Thunb. diff.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidariis ab Octobri ad Decembris. Toton glaber. Bulbus pisi magnitudine, alteri impositus alter, tunicis communibus imbricatis fuscis vestitus. Folia longe vaginantia, acuta, striatula, linearia; ſupra vaginam brevia erecta & canaliculata; ſumma vere caulinæ. Scapus valde gracilis, debilis, erectus, ſuperne geniculatus, pedalis & ultra. Flores duo plerumque, rarius unicus, fere biunciales, parum cernui. Spatha viridis, bivalvis, connivens; valvulis longe lanceolatis, acutis, concavis, erectis, longitudine fere fauſis petali. Corollæ tubus cylindricus, albus. Faux incurva, infundibuliformis, pallide violacea. Limbus tefidus, bilabiatus, pallide violaceus; laciniis lanceolatis, acutis; tribus superioribus duplo latioribus, & in dorſo linea ſaturatiore tintis; duabus lateralibus inferioribus punctis ſtrisque purpureis fere totis variegatis; intermedia inferne unica tali linea variegante picta, paulo latiore, obtuſiore & spathulata. In diversis individuis color violaceus vel cæruleus modo magis intenditur, modo fere in albedinem vergit. Antheræ ſunt albidæ. Stigma trifidum laciniis ſu-

perne

perne latescentibus, albis. Distinguo a Gladiolo tristi ceu speciem, ob folia non quadrialata, sed canaliculata;

## CCCCLX.

## GLADIOLUS PUNCTATUS.

An *Gladioli tristis* varietas? *Thunb. diff.*

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Novembri & Decembris. Totus glaber. Bulbus subrotundus, tunica fusca vestitus, avellanæ magnitudine. Folium in bulbo juvene nedum florente lineare acutum, planum, nervo medio protuberante instructum, erectum, sesquipedale, angustissimum. Folia in florente planta alterna, basi vaginantia, striata, lanceolato-linearia, acuta, plana, vix semipedalia, altero margine vaginantia. Folium infimum utrobique totum vaginans, spathæforme, ex maculis punctisque badiis & albis eleganter variegatum. Scapus sesquipedalis aut altior, teres, erectus. Flores racemosi, alterni, distantes, erecti, biunciales, fere quini. Spatha bivalvis; valvulis elongate lanceolatis, acutis, convolutis, subæqualibus, erectis, viréntibus. Corollæ cæruleæ tubus cylindricus, brevis, incurvatus. Faux infundibuliformis, spatha longior, compressula. Limbi sexfidi & bilabiati laciniæ lanceolatæ, acutæ, tres superiores duplo latiores & erectiusculæ; inferiores patentissimæ & inferiore media parte flavæ. Antheræ purpureæ, fauce longiores, Stigmatis albi & trifidi laciniæ apice lateſcentes.

## CCCCLXI.

## CCCCLXI.

## GLADIOLUS HIRSUTUS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. In tepidario floret Octobri, Novembri & Decembri. Bulbus bulbo impositus, avellanæ magnitudine, tunica reticulata fulſca & ſuperne fetofa veftitus. Caulis ſequipedalis, erectus, debilis, ſuperne flexuosus, teres, glaber, gracilis, vaginis foliorum fere totus teſtus, inferne vagina ſine folio glabra & ſuperne purpuradente obductus. Folia caulinæ alterna, diſticha, ensiformia, acuta, striatula, ad lentem hirsutula, ad oras ſæpe purpuradentia, erecta, rigidula, triuncialia ſine vaginis; quæ longæ ſunt, striatæ, pilosæ & ancipites. Flores duo, odoratissimi ſed non gratae, mutuo ſuccedentes, alter altero altior, erectiusculi. Spatha bivalvis, erecta, glabra, lanceolato-acuminata, connivens, longitudine tubi corollæ, viridis. Corollæ tubus subcylindricus, e viridi flavens. Faux infundibuliformis, incurvatus, magis purpuradens. Limbus campanulatus, ſexfidus, roſeus, fere longitudine tubi & fauſis; laciniis obverſe ovatis, acutulis, ſubundulatis, patulis; tribus superioribus fere duplo latioribus; ſumma immaculata; quatuor reliquis utrinque linea perpendiculari media ſaturatiſtintata notatis; tribus inferioribus præterea ad fauſem transverſe ſic coloratiſt. Antheræ oblongæ, roſeæ, polline flavo. Germen inferum, glabrum. Stigmatis trifidi & albi laciniæ spathulatae.

## CCCCLXII.

## GLADIOLUS FLORIBUNDUS.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Novembri in tepidario. Totus glaber. Bulbus subrotundus, avellana major, alteri plerumque degenerato & majori impositus. Folia radicalia plura, ensiformia, acuta, striata, disticha, altero margine fiso amplexicaulia, erecta, firma, plus minus semipedalia. Scapus teres, flexuosus, erectiusculus, firmus, superne saepe geniculatus, simplex, foliorum fere longitudine, totus a basi floriger. Flores sessiles, plures, erecti, distantes, triunciales & ultra. Spatha bivalvis, convoluta, acuta; valvula exteriore viridi & biunciali; interiore membranacea, tenui & duplo breviore. Tubus corollæ albidus, subcylindricus, fere longitudine spathæ. Faux infundibuliformis. Limbi campanulati & sexfidi laciniæ lanceolatæ, acutæ, patentissimæ, concolores, pallide ochroleucæ cum linea perpendiculari media utrinque purpurea; lacinia summa paulo latiore magisque erecta. Antheræ sunt nigroviolaceæ. Germen oblongum. Stigmatis trifidi & albidi laciniæ apice latecentes.

## CCCCLXIII.

## GLADIOLUS MUCRONATUS.

An Gladioli plicati varietas? Thunb. diff.

Ad Promontorium bonæ Spei crescit. Floret apud nos in tepidario Novembri & Decembri. Bulbus avellana major, subrotundus, tunica fusca  
re-

reticulata tectus. Folia radicalia plura, disticha, ex petiolis longe vaginatis glabrisque orta, ensiformia, acuta, plicata, nervosa nervis e basi laterali ortis, ad oras hirsuta, ad lentem utrinque hirsutula, tres quatuorve uncias longa. Scapus foliis altior, ramosus, erectus, parum flexuosus, angulatus, glaber. Flores subspicati, sessiles, erecti, plures. Spatha viridis, trivalvis, erecta; valvulis lanceolatis, acuminatis, concavis, hirsutulis, ciliatis, striatis; longiore exteriore unciali. Corollæ biuncialis & inodoræ tubus subcylindricus, pallidus, longitudine spathæ, abiens in faucom infundibuliformem, incurvatum & flavescentem. Limbi patentis & sexfidi laciniæ tres superiores dilute purpureo-violaceæ, cuneiformes, obtuse cum mucrone innocuo, erectiusculæ, paulo longiores; laciniæ tres inferiores ejusdem figuræ, sed patulæ magisque flavæ. Filamenta tria, filiformia, erecta, petalo breviora. Antheræ oblongæ, erectæ, pallidæ. Germen ovatum, trigonum, inferum. Stylus filiformis, albus, longitudine & situ staminum. Stigma album, trifidum; laciniis filiformibus, apice lutescentibus,

## CCCCLXIV.

GLADIOLUS ANCEPS. Thunb. *diff. pag. 17. num. 17.*

Lapeyrouisia compressa. *Aet. tolos. vol. 3. pag. 79. tab. 6.*

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret in tepidariis a Novembri ad Januarium. Totus glaber. Bulbus conicus, lata basi planus, imbricatis fuscisque tunicis. Caulis erectus, flexuosus, anceps, pedalis, alternatim & simpliciter ramosus, foliosus, angulis superioribus alatis mar-

gine simplici vel duplici, & hoc vel integerrimo vel denticulato. Folia ensiformia, acutula, striata, integerrima, altero margine fisso amplexicaulia, patula, glauca, caule multo breviora, infima saepius ad oras undulata & crispa, plerumque plana, nonnunquam obliqua. Flores solitarii, sessiles, erecti, alterni, plures, successive florentes. Spatha diphylla, erectiuscula; valvula exteriore obtusula, ad oras crispata, conniventi-compressa, folioformi; interiore minuta, connivente, apice bifido. Petali cærulei tubus filiformis, spatha duplo longior, biuncialis. Limbus sexfidus, patentissimus, semuncialis diametri; laciniis subspathulatis, acutulis, æqualibus; tribus inferioribus & summa ad oras inferne albis, duabus reliquis totis purpureo-cæruleis. Filamenta tria, brevia, erecta, in tubi corollæ parte superiore orta. Antheræ oblongæ, albæ cum binis lineis purpureis, polline violaceo. Stigma violaceum, trifidum; laciniis bifidis & linearibus.

## CCCCLXV.

## GLADIOLUS FISSIFOLIUS.

*Gladiolus anceps.* *Linn. Syst. pag. 86.*

Elegans plantula, Gladiole ancipiæ valde affinis, foliis fissis singularissima, sponte crescit ad Promontorium bonæ Spei, in caldariis apud nos florens Decembri & Januario. Bulbus conicus, basi planus, fuscus, avellanæ magnitudine. Caulis erectus, anceps, flexuosus, glaber, erectus, foliosus, spithameus. Folia alterna, amplexicaulia, ovata, inferiora acuta, superiora obtusa, nervosa, facie glabra, dorso hirtula, ad oras cri-  
spa,

spa, lateribus reflexa, patentia, fuscuncialia. Vel verius folia sunt ex natura sua ensiformia & altero interiori margine fiso amplexicaulia, quæ fissura in foliis superioribus ad marginem folii oppositum sive exteriorem usque pertingit, unde hic margo tunc evadit nervus folii medius, dum oræ divisæ interiores horizontaliter expanduntur non tantum, sed etiam reflextuntur. Hoc docemur ex foliis inferioribus, quorum suprema pars minime fissa est. Flores solitarii, erecti, sessiles, plusquam unciales. Spatha bivalvis, brevissima, acuta, connivens, membranacea, albida; valvula exteriore ovato-acuminata, latiore, dorsoque medio viridi. Corollæ tubus est filiformis, parum incurvatus, albus, superne violaceus. Limbi sexfidi, patentissimi tuboque triplo brevioris laciniæ lanceolatæ, acutæ, adscendentæ, subæquales, subtus pallide violaceæ, supra purpureorubræ inque basi albidæ cum linea media atropurpurea; lacinia summa paulo latiore magisque erecta. Filamenta tria, violacea. Antheræ oblongæ, erectæ, fodiende albentes cum lineis rubellis, fere longitudine corollæ. Germen glabrum. Stigmatis albi & trifidi laciniæ filiformes & bifidæ.

## CCCCLXVI.

GLADIOLUS ALATUS. *Linn. syst. pag. 86. Thunb. diff. pag. 16.*  
*num. 2.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Novembri & Decembri. Totus glaber. Bulbus bulbo impositus, avellanæ magnitudine vel duplo major, tunica fusca vestitus. Folia radicalia, disticha, ensiformi-linearia, acuta, integerrima, nervose striata, margine fiso basi vaginantia, quæ fissura ad medietatem usque folii ad oppositum marginem

usque pertingit, dein ad nervum medium usque per magnam folii longitudinem, superne dumtaxat non fissa, erectiuscula, sesquipedalia, in fissura pallide virentia nitidaque. Caulinum unum aliudve, prioribus simile, sed breve. Scapus sive caulis foliis altior, teres, erectus, flexuosus, saepe ramosus. Flores sessiles, plures, distantes, forti & suavissimo odore corticum Citri sive florum Collinsoniae praediti. Spatha bivalvis, erecta, viridis, ad minus uncialis; valvulis lanceolatis, acutis, ventricose concavis, oppositis, altera paulo breviore. Corollae tubus pallet. Limbus cinerascit. Labii superioris laciniæ duæ laterales saturatiæ & subtilissime lineatae cum linea media fulcescente. Labii inferioris laciniæ inferne flavæ cum fascia imposita acuta purpurascente. Filamenta albent. Antheræ ante flarent.

**CAL.** spatha bivalvis.

**COR.** monopetala, ringens. Tubus subcylindricus, incurvus, spatha fere duplo brevior. Limbus bilabiatus, sexpartitus. Labii superioris lacinia summa cuneiformis, obtusa, angusta, plana, falcata, reliquis paulo longior. Duæ laterales rhombæ, utrinque attenuatae, latissimæ, planæ, patulæ. Labii inferioris laciniæ propendulæ, acutæ; quarum duæ interiores cuneiformes incumbunt tertiae, simili laciniis lateralibus labii superioris.

**STAM.** Filamenta tria, subulata, alba, recondita sub lacinia summa labii superioris corollæ, qua breviora. Antheræ oblongæ, erectæ.

**PIST.** Germen inferum, oblongum. Stylus filiformis, situ staminum, longitudine fere corollæ. Stigma trifidum, patens; laciniis filiformibus, apice latescentibus & bifidis.

**PER. & SEM.** . . .

## CCCCLXVII.

## GLADIOLUS GALEATUS.

*Gladiolus alatus.* Thunb. *diff. pag.* 16. *num.* 1.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidario Octobri & Novembri. Totus glaber. Bulbus subrotundus, avellanæ magnitudine, alter alteri impositus, vestitus membranis reticulatis setaceis mollibus cinereis & nitide sericeis. Folia radicalia plura, disticha, ensiformia, acuta, margine fiso vaginantia, erecta, integerrima, scapo breviora, obscurius striata, nervo medio utrinque protuberante & inferne obliquo. Scapus erectus, simplex, teres, magis minusve flexuosus, plus minus semipedalis. Flores plures, sessiles, alterni, distantes, parum nutantes, inodori. Spatha scariosa, bivalvis, longitudine faucis corollæ; valvulis acuminatis, ut plurimum bifidis. Corolla ex violaceo sordide pallet; cuius lacinia summa magis violacea est, saepe ad latera flavens. Labii inferioris laciniæ laterales interne circa medium aut ex integro aut tantum ad latus extimum saturate flavent. Antheræ ex viridi flarent.

CAL. spatha bivalvis.

COR. monopetala, ringens. Tubus brevis in faucem abit infundibuliformem & valde incurvam. Limbus sexfidus. Labii superioris lacinia summa elongata lanceolata, acuta, plana, erecta. Laterales duæ paulo breviores, patulæ. Labii inferioris laciniæ propendulæ, obtusæ, angustiores.

STAM.

**STAM.** Filamenta tria, in arcum incurvata versus summam corollæ laciniam.

Antheræ oblongæ, erectæ.

**PIST.** Germen inferum, oblongum. Stylus filiformis, situ & longitudine staminum. Stigma trifidum; laciis latescensibus.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCCLXVIII.

#### GLADIOLUS SILENOIDES.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In nostris tepidariis floret Novembri & Decembri. Bulbus avellanæ magnitudine, conicus, basi planus, tunica fusca circumdatus. Folium radicale unicum, caulina alterna, quandoque inferiora duo opposita; omnia ensiformia, magis minusve linearia, acuta, striata, duas tresve uncias longa, altero fisco latere breviter vaginantia, ex glauco virentia, glabra. Caulis semipedalis aut paulo altior, gracilis, glaber, inferne ramosus, debilis, hinc saepe declinatus, flexuosus, multiflorus. Flores alterni, sessiles, erectiusculi, secundi, inodori. Spathæ trivalves; valvulis sublinearibus, conniventibus, acutis, erectis; longiore biunciali folioque simili; intima bifida. Corollæ tubus filiformis, erectiusculus, inferne incurvatus, biuncialis, albus. Limbi sexfidi, eleganter & saturate purpurei, & patentissimi laciæ sunt lanceolatae, acutulæ; tres inferiores pauxillo minores & basi insignitæ macula flavescente, quæ in duabus lateralibus aliam utrinque maculam minimam habet sanguineam. Filamenta tria, filiformia, erecta, purpurea, fere longitudine corollæ. Antheræ erectæ, flavæ. Stylus purpureus, longitudine & situ

fta.

staminum. Stigma trifidum; laciniis ad apicem latescentibus. Eminus Silenem aliquam refert.

## CCCCLXIX.

## GLADIOLI TENELLI VARIETAS. Tab. 3. fig. 1.

Ex Promontorio bonæ Spei. In tepidario floret Octobri & Novembris. Totus glaber. Bulbus ovatus, avellanæ magnitudine, tunica badia nitida vestitus. Folia infima brevia, vaginantia tota. Subsequa inferne longe vaginantia, hinc lanceolato-linearia, acuta, convoluta, striatula, longitudine scapi teretis, semipedalis, flexuosi, gracilis, & biflori. Flores subodorati, erectiusculi, successive prodeentes. Spatha diphylla, flore dimidio brevior; foliolis lanceolatis, acutis, concavis, subæqualibus, erectis, virentibus. Corollæ flavæ & ultra duas uncias longæ tubus cylindricus, spatha duplo brevior. Limbus campanulatus, sexfidus; laciniis lanceolatis, acutis; tribus superioribus erectiusculis; tribus inferioribus patentibus, saturate luteis & percursis inferne lineis fere quatuor fulcescentibus. Filamenta alba, brevia. Antheræ pallidæ, vix saucem superantes. Stigmatis trifidi laciniæ apice latescentes.

## CCCCLXX.

## GLADIOLUS STRICTUS.

An Ixiæ strictæ varietas? *Ait. hort. kew. vol. 1. pag. 61.*

Ex Promontorio bonæ Spei. In tepidariis nostris floret Decembri. Totus glaber. Bulbus subrotundus, tunica striata crassa & nigricante vestitus. Caulis erexit, debilis, pedalis, gracilis, tribus fere foliis alternantibus instructus, infimo radicali. Folia ex longa vagina striata & terte orta, sunt ensiforme-linearia, acuta, erecta, stricta, subtrinervia, nervo medio utrinque protuberante, hinc veluti sulcata, sine vagina triuncialia. Flores fere tres, alterni, erecti, inodori. Spatha diphylla, connivens, linearis-lanceolata, obtusa, erecta, viridis; valvula exteriore longiore semunciali; interiores apice bifido. Corolla biuncialis; tubo cylindrico, ferè unciali, cærulescente. Faux infundibuliformis, incurva, pallida cum maculis sordide purpurecentibus. Limbus patulus, sexfidus; lacinias lanceolatis, acutis, subpellucidis; summa triplo latiore, albida, superne flavescente cum striis punctisque purpurecentibus; reliquis concoloribus & sordide flaventibus cum linea perpendiculari media striisque & punctis purpureis. Filamenta alba, petalo breviora. Antheræ oblongæ, erectæ, fuscocærulescentes; polline flavo. Stigma trifidum; lacinias late-scentibus, albidis.

CCCCLXXI.

## CCCCLXXI.

## GLADIOLUS LACCATUS.

Promontorium bonæ Spei patria est. Apud nos floret Martio & Aprili. Totus glaber. Bulbus albus, tunica fusca vestitus, alter alteri impositus, subrotundus, magnitudine avellanæ. Folia plura, anguste ensiformia, acuta, leviter striata, integerrima, firma, erectiuscula, nervo medio utrinque protuberante, altero margine vaginantia, longiora pedalia. Scapus foliis fere altior, foliorum vaginis vestitus. Flores sessiles, plus minus quatuor, distantes. Spatha diphylla, erecta; valvulis anguste lanceolatis, acuminatis, concavis, mutuo amplexantibus, basi virentibus, superne sphacelatis & fulcescentibus. Corolla uniformiter amœnissimum laccæ florentinæ colorem habet. Tubus cylindricus, gracilis, eretus, fere longitudine spathæ. Faux ad angulum rectum supra tubum incurvata, hinc horizontalis, infundibuliformis, non compressa, longitudine tubi. Limbus campanulatus, patulus, sexfidus; laciniis ovatis, acutis, planis, immaculatis, longitudine faucis, omnibus æqualibus. Filamenta tria, declinata, fauce longiora. Antheræ lineares, incumbentes, corollæ concolores. Stylus albus, situ & longitudine staminum. Stigmatis trifidi laciniæ bifidæ.

## CCCCLXXII.

## CRASSULA UMBELLA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In nostris tepidariis floret Januario & Februario. Tota glabra est. Radix perennis, difformiter subrotunda, unciam plus minus crassa, nigra, fibrillis aucta. Caulis unus alterve, annuus, teres, carnosus, basi calamum crassus, spithameus, erectus, subpellucidus, erectiusculus, pallide carneus, nitidus, simplicissimus. Folia radicalia nulla. Caulina duo, etiam unicum, subrotunda, convexa, repandula, avenia, enervia, carnosa, fragilia, supra viridia cum radiis pallidis & ad lentem punctata, subtus ex purpureo rubentia, majora diametri triuncialis, perforata sive per quorum centrum caulis transit, sic ut singula umbellam referant. Racemi in utroque folio axillares gemini, oppositi, erecti, graciles, unam alternamve unciam longi, superne florigeri. Pedunculi inferiores oppositi, uniflori aut ex pedicellis propriis umbelliati; summi verticillati. Caulis etiam in similem racemum terminatur. Flores parvi, inodori. Calyx profunde quinquepartitus, punctatus, viridis, carnosulus; foliolis lanceolatis & erectis. Petala quinque, late lanceolata, acuta, calyce duplo longiora, reflexa, intus albida, foris carnea. Filamenta quinque, subulata, erecta, alba, fere longitudine petalorum. Antheræ erectæ, ochroleucæ. Squamæ nectariferæ ante petala fuscae. Germina quinque ovata virent. Styli crassi, apice recurvati. Stigmata simplicia, obtusa. Plures flores sunt hexandri hexagyni cum calyce corollaque sexpartitis.

## CCCCLXXIII.

## CCCCLXXIII.

MYGINDA RHACOMA. *Swartz. prodr. pag. 39.*

*Crossopetalum fruticosum* tenuē, foliis ovatis tenuissime denticulatis oppositis, racemis alaribus. *Brown. jam. pag. 145. tab. 17. fig. 1.*

Crescit ad Caracas. In caldario floret totam æstatem, sempervirens, tota glabra, fructus ferens maturos autumno & hyeme, primo a sactione anno vix semipedalis & jam florigera, quarto ætatis anno vixdum pedalis. Radix aurantiaco-fuscescens. Truncus senior teres, cæterum cum ramis virentibus tetragonus. Folia opposita, lanceolata, acutula vel obtusa, subcoriacea, uncialia. Pedunculi axillares, foliis breviores, subcapillares, solitarii, triflori. Flores minuti; calyce viridi; petalis atropurpureis. Filamenta inferne alba, superne corollæ concoloria. Antheræ flaventes. Stigmata atropurpurea. Bacca rubra, piselli magnitudine.

**CAL.** Perianthium parvum, inferum, concavum, persistens, semiqdridum; lacinulis semiovatis, acutis & erectis.

**COR.** Petala quatuor, late ovata, sæpe obiter denticulata, acuta, patentissima.

**STAM.** Filamenta quatuor, subulata, crassula, petalis duplo breviora, arcuata extrorsum inter petala. Antheræ subrotundæ.

**PIST.** Germen superum, subrotundum. Stylus subulatus, brevis, erectus. Stigmata quatuor, oblonga, patentia.

**PER.** Bacca subrotunda, unilocularis.

**SEM.** unicum.

## CCCCLXXIV.

## CAREX HERMAPHRODITA.

In udis creſcit ad Caracas. In caldariis floret a Majo ad Augustum. Ex eadem radice perenni & dense fibroſa ſcapi plures attolluntur annui, ſimpliciſſimi, triquetri, nitidi, glaberrimi, aphylli, plus minus bipedales, baſi foliis radicalibus vaginantibus veſtiti, & apice in amplam umbellam expanſi. Folia radicalia plura, ſæpius quatuor, baſi ſcapum vaginantia, ſublinearia, ſuperiora verſus in acumen paulatim anguſtata, ad totas oras & in utraque facie dumtaxat ſuperne retrorsum ſcabra, neruo medio ſubtus acute protuberante, reclinata, longiora plusquam bipedalia & unam tertiam unciaꝝ partem lata. Involucri foliola plura, plus minus decem, foliis ſimilli-
ma, longitudine & latitudine valde inæqualia, longiora plusquam pedalia. Radii erecti, alii patuli, hinc plani, inde convexuli, glabri, inæquales, longiores quinqueunciales, centrales breviſſimi aut vix ulli. Spicæ terminales, cylindricæ, unciales vel fefunciales, rectæ, aphyllæ, plerumque ſolitariæ ac involucello monophyllo ſetaceo vixque conſpicuo ſuffultæ, rarius ternæ vel quaternæ cum involucelli foliolis totidem longioribus; com-
poſitæ ex ſpiculis propriis deneſe ſparfis, numerosis, patentiflmis, ſubula-
tis, acutis, gracilibus, tres quatuorve lineaſ longis & breviſſime pedicel-
latis. In hiſ ſequens eſt fructificatio ex floſculis omnibus hermaphroditis, plus minus quiniſis.

**CAL.** Squamæ unifloræ, alternæ, ovatæ, erectæ, conniventes, imbricatae;
inferiores obtusæ, ſummæ acutæ.

**COR.** nulla.

Ne-

Nectarium nullum.

**STAM.** Filamenta tria, capillaria, calyce longiora. Antheræ oblongæ, erectæ.

**PIST.** Germen oblongum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, brevis. Stigmata tria, capillaria, calyce longiora, glabra.

**PER.** nullum.

**SEM.** unicum, oblongum, triquetrum, acutum.

### CCCCLXXV.

**PANAX ACULEATUM.** *Ait. hort. kew. vol. 3. pag. 448.*

*Zanthoxylum trifoliatum.* *Linn. syst. pag. 885.*

In caldario horti Cæsarii Schönbrunnensis floret Novembri & Decembri, totum scatens succo terebinthinacei odoris, sempervirens, ex China ortum. Frutex humanæ altitudinis, ramosus; caulis erectis, digitum crassis, teretibus, cinereis, punctis scabriusculo. Aculei ad petiolos solitarii, bini vel terni, cinerei, patuli; in trunco parum superstites; etiam in dorso petiolorum unus alterve. Folia sunt ternata, alterna, glabra; petiolis plus minus fuscuncialibus; foliolis inermibus, brevissime petiolatis, lanceolatis vel subovatis, mucronate ferrulatis, obtusulis cum mucrone. Umbellæ simplices, terminales, pedicellatæ, erectæ, multifloræ. Pedunculi proprii graciles, lemunciales, purpurei. Calyx viret cum oris purpureis. Corolla viret. Filamenta & antheræ albent. Styli virent. Stigmata purpurascunt. Solum habemus hermaphroditum, qui fructum neecdum dedit.

CAL.

**CAL.** Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, acute quinquentedatum.

**COR.** Petala quinque, oblonga, acuta, revoluta.

**STAM.** Filamenta quinque, subulata, erecta, petalis longiora. Antheræ incumbentes.

**PIST.** Germen superum, depresso-ovalis. Styli tres, vel duo, nonnunquam unicus, breves, erecti. Stigmata simplicia, obtusa.

**PER. & SEM.** . . .

## CCCCLXXVI.

### PAULLINIA CAULIFLORA.

In sylvis crescit ad Caracas. In caldariis nostris floret ab Octobri ad Januarium; fructum dare negat. Frutex quindecimpedalis, debilis, scandens, ramosus, totus glaber; trunco cinereo, tereti & pollicem crassio. Folia sunt pinnata, alterna, trijuga cum terminante impari; pinna infima utraque ternata cum pinnulis lateralibus minoribus, quorum superior dum nonnunquam deficit, tunc pinnula media in hoc latere unam alternamve incisuram habet. Pinnulæ autem sunt lanceolatae, in acumen obtusum terminatae, integerimæ, biunciales, infimis brevissime petiolatis, summo pari & terminali impari sessilibus. Costa plus minus biuncialis, gracilis, inter utraque sola superiora juga leviter alata. Stipula ad costam utrinque oblonga, badia. Cirrus axillaris, bifidus, lignescens, longitudine costæ. Racemi ramosi, axillares, brevissimi, etiam in caule ramisque infra folia aphyllis senioribus, continent flores inodoros pedicellatos numerosos, ut videantur

hi potius dense aggregati. Calycis foliola duo exteriors virent, reliqua cum petalis & nectariis apice flaventibus fordide albent. Antheræ pallent.

**CAL.** Perianthium pentaphyllum; foliolis obtusis, concavis; exterioribus duobus ovatis, erectiusculis, duplo brevioribus; tribus interioribus oblongis, patulis.

**COR.** Petala quatuor, obverse ovata, obtusa, concava, æqualia, superne patentia, calycem superantia.

Nectaria duo. Primum Glandula parva, lutea, ad basin cuiuslibet petali. Alterum Foliola quatuor, oblonga, erecta, antice in uno ordine posita.

**STAM.** Filamenta octo, subulata, inæqualia, nectarii foliolis opposita, eorumdemque longitudine. Antheræ oblongæ, erectæ.

**PIST.** Germen superum, depresso. Styli tres, compressi, crassi, breves, pilosi, patuli. Stigmata simplicia, obtusa.

**PER. & SEM.** . . .

### CCCCLXXVII.

#### MASSONIA PUSTULATA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In tepidariis nostris floret Novembri, Decembri & Januario. Bulbus subrotundus, tunicatus, foris fuscus, unciam diametro æquans. Folia radicalia duo, opposita, basi parum vaginantia & canaliculata, hinc ovata, obtusa cum parvo acumine, integerrima, plana, crassa, carnosa, utrinque glabra nitida & nervosæ multilineata, facie saturate virentia pustulisque minimis elevatis densissime mu-

ricata, omni pilo destituta, longa semipedem & tres uncias lata, tota terræ incumbentia. Scapus centralis, semuncialis, erectus, superne incrassatus, purpureascens, terminatus capitulo florum denso & diametri fuscuncialis. Bracteæ ad singulos flores late lanceolatæ, acuminatæ, ventricose concavæ, integerrimæ, glabræ, virides, erectæ, unciales, interiores successive angustiores. Pedunculi uniflori, in qualibet bractea solitarii, crassuli, erecti, nivei, unam tertiam unciæ longi, superne in discum incrassati. Corolla nivea, pellucens; tubo nec angulato, nec striato. Nectarium carnosum, ex viridi cæruleascens, lucidum. Filamenta & stylus albent. Antheræ flavent.

**CAL.** nullus.

**COR.** monopetala, infera. Tubus cylindricus, teres, erectus, longus. Limbus sexfidus, tubo duplo brevior; laciniis lanceolatis, acutis, planis, totis reflexis.

Nectarium Corona marginalis, brevis, fauci corollæ imposita, filamentorum bases connectens.

**STAM.** Filamenta sex, subulata, erecta, incurvatula, longa, tubo corollæ imposta, quorum vestigia per eundem tubum interne decurrent. Antheræ oblongæ, incumbentes.

**PIST.** Germen superum, oblongum, triquetrum. Stylus subulatus, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex.

**PER. & SEM.** . . .

## CCCCLXXVIII.

IXIA CORYMBOSA. *Linn. Syst. pag. 84.* *Thunb. diff. num. 10.*  
*pag. 11.*

Caryophyllum monomotapensis, nervosis bupleuri foliis, intus canis, flore cæruleo, caulinis secundum longitudinem alatis. *Pluk. alm. pag. 87. tab. 275. fig. 1.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in caldario Decembri & Januario. Bulbus late conicus cum basi plana, reticulatus, nigricans, durus. Tota glabra est. Folium radicale unicum, ensiforme, acutum, striatum, vaginans, altero margine fido amplexicaulē, integerimum, ad oras crispum, erectum vel recurvatum, triunciale. Caulina alterna, priori similia, sed non crispa, multoque breviora, summa dumtaxat spathæformia. Caulis foliis plerumque altior, erectus, flexuosus, anceps, simplex. Pedunculi alterni, racemosi, alii uniflori, alii plures flores sustinentes, semunciales, erecti. Flores inodori, expansi omnes ejusdem altitudinis five corymbosi. Spatha bivalvis, viridis; valvulis conniventibus, obtusis, parvis, distichis. Corolla cærulea vel alba, uncialis. Tubus longe infundibuliformis, erectus. Limbi sexfidi laciniæ lanceolatae, acutulae, æquales, patentæ, tubo breviores. Filamenta tria, alba, longitudine tubi. Antheræ oblongæ, pallide cærulecentes. Germen subrotundum, inferum. Stylus albus, longitudine staminum. Stigma trifidum; laciniis linearibus, obtusis.

## CCCCLXXIX.

## IXIA CHLOROLEUCA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Majo & Junio. Tota glabra est. Bulbus subrotundus, depresso, avellanæ magnitudine, tunica fusca vestitus. Folia radicalia plerumque duo, linearia, acuta, angustissima, lateribus suis conniventia, sic mentita folia subulata, debilia, hinc telluri incumbentia, alterum pedale, alterum bipedale. Scapus semiteres, enodis, aphyllus, erectiusculus, semipedalis. Flos erectus, unicus. Spatha bivalvis, valvulis oppositis, ovato-acuminatis, scariosis, erectiusculis. Corolla campanulata, supera. Tubus brevissimus. Limbi albi & sexfidi laciniae lanceolatae, acutæ cum apice incurvo, se-sunciales, subæquales, tres alternæ foris virentes. Filamenta tria, subulata, brevissima, erecta, ex tubo corollæ orta, lutea. Antheræ lineares, erectæ, luteæ. Germen inferum, subrotundum, viride. Stylus longitudo-ne staminum. Stigma trifidum, pallidum. Ad Ixiam roseam accedit.

## CCCCLXXX.

IXIA SECUNDA. *Linn. syst. pag. 84. Thunb. diff. num. 7. pag. 9.*  
*Berg. cap. pag. 7.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidario mense Majo. Bulbus avellana duplo minor, tunica fusca reticulata vestitus. Folia radicalia pauca, fere duo, ensiformi-linearia, acuta, integerrima, glabra, obscure striata, nervo medio utrinque protuberante, plus minus octo-

un-

uncialia, basi vaginantia, erectiuscula. Scapus teres, flexuosus, villosus, erectus, ad flores reflexus, saepius uno altero rame patente auctus, & ad hujus exortum folio breviori instructus, foliis paulo altior. Flores laxe spicati, plures, sessiles, erecti, secundi, inodori; rhachide flexuosa. Spatha bivalvis, glabra; valvulis oblongis, acutis, erectis, conniventibus, virentibus cum apice fusco. Corollæ fere rotatæ & saturatissime cæruleæ tubus brevissimus; limbi sexpartiti laciniis ovatis, acutis, subæqualibus, planis; tribus exterioribus foris purpurascensibus. Filamenta tria, erecta, brevissima. Antheræ lineares, erectæ, ochroleucæ. Germen oblongum, triquetrum, glabrum. Stylus violaceus, subclavatus, fere corollæ longitudoine. Stigma trifidum; laciniis linearibus & villosulis.

## CCCCLXXXI.

IXIA UNIFLORA. *Linn. mant.* 1. pag. 27.

*Ixia* foliis gladiolatis glabris, caule unifloro. *Mill. ic.* pag. 153. tab. 237.  
fig. 3.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos floret Aprili. Bulbus subrotundus, avellanæ magnitudine, tunica striata fulca tectus. Folia radicalia plura, disticha, anguste ensiformia, erecta, acuta, tenuissime striata, glabra, longitudine valde inæqualia, longiora semipedalia. Scapus foliis altior, teres, glaber, flexuosus, erectiusculus. Flos terminalis, erectus, inodorus. Spatha scariosa, glabra, bivalvis; valvulis striatis, latis, aristato-dentatis. Corollæ superæ tubus angustus, incurvatus, saturate violaceus, longitudine spathæ. Limbi sexfidi, patentis & diametri

fescuncialis laciniæ sunt oblongæ, obtusæ cum parvo acumine, æquales, omnes interne saturatissime & eleganter ex purpureo violaceæ, tres alternæ etiam sic externe coloratæ, aliæ tres foris ex violaceo sordide pallentes, tum una ex his cum duabus suis lateralibus in fauce fascia duplice descendente inque apicem concurrente notata. Antheræ pallide ochroleucæ. Stigma trifidum & filiforme albet.

## CCCCLXXXII.

*IXIA ERECTA.* *Linn. Syst. pag. 85.* *Berg. cap. pag. 5.* *Thunb. diff. num. 18. pag. 16.*

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidariis a Novembri ad Januarium. Tota glabra est. Bulbus subrotundus, avellanae magnitudine, fuſca tunica vestitus. Folia pauca, alterna, ensiformia, acuta, integerrima, striatula, altero margine vaginantia, erecta vel tantisper falcata, a quatuor ad septem uncias longa; summum fere totum vaginans & longius. Scapus teres, erectus, gracilis, debilis, subflexuosus, ramosus, plus minus sesquipedalis. Flores pauci, fescunciales, inodori, erectiſculi, tenelli, breviter pedicellati, etiam ſæpe unus ſeffilis. Spatha bivalvis, scarious, hyalinus; valvulis oppositis, lanceolatis, acuminate, concavis; altera longiore. Corollæ albæ, immaculatæ, infundibuliformis & ultra medium sexfidæ, laciniæ oblongæ, obtusæ, æquales & erectio-patulæ. Filamenta tria, alba, petalo duplo breviora. Antheræ erectæ, ochroleucæ. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes, apice bifidæ.

## CCCCLXXXIII.

## CCCCLXXXIII.

**IXIA FALCATA.** *Linn. syst. pag. 85. Thunb. diff. num. 23. pag. 19.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos floret Octobri & Novembri; tota glabra. Bulbus avellana duplo minor, subrotundo-conicus, basi planus, tunica fusca reticulata vestitus. Folia pluscula, lineariformia, striatula, acutula, scapo duplo breviora, integerrima, disticha, modo recta, modo falcate reflexa. Scapus simplex vel ramosus, pedalis, erectus, parum flexuosus, teretiusculus, gracilis, superne distiche spicatus ex floribus plus minus septenis, sessilibus, erectis, ante vesperam sese aperientibus. Spatha bivalvis, striata, acuta, connivens, tubo petali æqualis. Corolla monopetala, supera; tubo cylindrico, incurvo, purpurascente; limbi albi & sexfidi laciniis lanceolatis, patentissimis, acutis, tribus exterioribus paulo longioribus ac foris purpureis. Filamenta tria, libera, erecta, subulata, alba. Antheræ lineares, sagittatæ, erectæ, corolla breviores, ochroleucæ. Germen oblongum, triquetrum. Stylus filiformis. Stigmata tria, capillaria.

## CCCCLXXXIV.

**IXIA LINEARIS.**

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Octobri & Novembri. Tota glabra. Valde affinis Ixiæ falcatæ habitu & structura flororum, a qua tamen specie distinctam credo. Bulbus avellana minor, conicus, basi planus, tunica fusca tectus. Folia sunt linearia, acutula, integr-

gerrima, striatula, angusta, altero margine basi vaginantia, disticha, erecta, alterna. Scapus foliis altior, plus minus octouncialis, erectus, flexuosus, floribus sessilibus tribus quatuorve & secundis terminatus. Antheræ lineares, flavæ. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes & longæ. Reliqua omnino structura & magnitudine florum Ixiæ falcatæ, sed petala omnia utrinque perpetuo alba.

## CCCCLXXXV.

PELARGONIUM ANCEPS. Tab. 22. fig. 3. Ait. kew. vol. 2. pag. 420.

Ad Promontorium bonæ Spei sponte crescit; floret apud nos a Junio ad Augustum; totum tantiisper odoratum. Ex radice perenni, calatum & ultra crassa, longaque, folia & caules plures in orbem quotannis egrediuntur adscendentibus, ramosi, obsolete triangulares, ex fusco purpurascens, sesquipedales, glabriuscui. Folia sunt opposita, cordato-subrotunda, obtusissima, crenata, obscure lobata, glabra cum tantilla asperitate, venosa, firmula, inferiora longe petiolata magisque integra, superiora brevius petiolata & saepe triloba. Stipulæ ovatæ, acutulæ, patentissimæ, cum suffusa purpura pallide virentes. Pedunculi communes axillares, alterni, erecti, tres quatuorve uncias longi, obsolete angulosi, superne hirtuli. Pedicelli a quinque ad octo, umbellati, hirtuli, semunciales, supra medium geniculati incrassati & cuniculati. Involucri foliola pluscula, ovata, acuta, hirtula, scariosa. Calycis pentaphylli foliola striata, acuminata, hirta, ciliata; quatuor inferiora lanceolata & semireflexa, summum ovatum & erectum. Petala quinque, longe cuneiformia, obtusa, patentia, æqualia, purpurea; duo superiora basi duabus lineolis longitudinalibus saturatio-

ri-

ribus insignita, & tota sic sibi mutuo incumbentia, ut corolla videatur te-trapetala. Filamenta decem, basi connata, pallida; quorum septem an-therifera; tria sterilia brevissima. Antheræ oblongæ, incumbentes, pur-pureæ. Germen ovatum, hirsutum. Stigma quinquefidum, purpureum. Semina & arista hirsuta.

## CCCCLXXXVI.

PELARGONIUM ALTHÆOIDES. Tab. 21. fig. 2. Ait. kew. vol. 2.  
pag. 420.

*Geranium althæoides.* Linn. *syst. pag. 615.* Cavan. *diff. pag. 242. num.*  
*348. tab. 123. fig. 2.*

*Geranium folio althææ africanum, odore melissæ.* Boerh. *lugd. 1. pag. 263.*

Crescit ad Promontorium bonaë Spei. Apud nos floret totam æsta-tem, totum odore Melissæ præditum forti, nec grato, perennne, depre-fum, caulis pluribus ramosis, calamus crassis, teretibus, inferne purpu-reis, pedalibus & ultra, villosis, decumbentibus, herbaceis. Stipulæ sunt ovatæ vel lanceolatæ, acutæ, tomentosæ. Folia opposita, ovata, obtusa, crenata, lobulata, undulata, utrinque tomentosa, ex incano vi-rentia, petiolis breviora; infimo pedunculo oppositum solitarium. Pedun-culi communes axillares, alterni, hirsuti, ereceti, foliorum plus minus lon-gitudine. Flores unibellati, plus minus quini. Involueri foliola quinque vel plura, lanceolata, acuta, hirsuta. Pedicelli teretes, hirsuti, semun-ciales, supra medium geniculati incrassati & cuniculati. Calycis foliola quinque, lanceolata, acuta, latitudine inæqualia, virentia, hirsuta, cilia-

A a

ta,

ta, summum totum erectum, reliqua inferne erecta & superne patula. Petala quinque, vix calycem superantia, cuneiformia, obtusa, apice patula, ungue & totis oris alba, lamina purpurea; superiora duo paulo longiora & latiora maculisque paucis oblongis saturatius colorata. Filamenta decem, basi coalita in unum corpus, alterna quinque antherifera. Antheræ oblongæ, rubræ. Germen villosum. Stigma quinquefidum, villosulum, purpureum. Semina fusca, basi acuminata, hirsuta, desinentia in aristam unciam, hirsutam, inferne contortam pilisque niveis barbatam.

## CCCCLXXXVII.

## PELARGONIUM FUSCATUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos florens æstate. Caulis fruticosus, tres quatuorve pedes altus, teres, ramosus, fuscescens, cicatricibus cinereis a dilapsis foliis notatus, junior scaber, basi digitum crassus. Stipulæ ad folia ovatæ, acuminatæ, dentatæ, glabræ, ad oras per lentem ciliatæ, sæpe tam latæ quam longæ. Folia sunt alterna, ad pedunculos sæpius opposita, circumscriptione cordato - subrotunda, triloba vel subquinqueloba, acute crenata, utrinque glabra, ad solas venas dorsales valde protuberantes hirtula; inferiora minus profunde divisa in lobos rotundiores, multo majora & immaculata, reliqua profundius divisa in lobos oblongos & superne in disco maculata per zonam sanguineo-fuscum; odoris fere nullius. Petioli teretes, asperi, inferiores folio duplo longiores. Pedunculi communes axillares, alterni, erecti, scabriuscui, infimi sæpe oppositifolii. Flores umbellati, ut plurimum quatuor, fætiduli. Involuci foliola quatuor vel quinque, ovata, ciliata, caduca. Pedicelli unicæ-

ciales, asperi, virides, circa medium geniculati & abhinc ad apicem usque crassiores & cuniculati. Calycis pentaphylli foliola lanceolata, aspera, acuminata, ciliata, virentia; quatuor inferiora reflexa; summum latius & erectum. Petala quinque, obtusa, patentia. Tria inferiora oblonga, breviora, pallide rosea. Duo superiora cuneiformia, triplo inferioribus latiora, calyce duplo longiora, saturate rubra tota cum fasciis longitudinalibus multo saturatioribus. Filamenta decem, basi in unum corpus connata, brevia, querum sola septem antherifera. Antheræ oblongæ, flavæ. Germen hirsutum. Stylus pilosulus. Stigma quinquefidum, villosum, coloris sanguinei.

## CCCCLXXXVIII.

## PELARGONIUM PATULUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos æstate. Odor plantæ paucus. Ex radice ramosa plurimi egrediuntur caules fruticosi, debiles, bipedales & ultra, teretes, glabri, calatum crassi, eretiusculi, pallide badii coloris, & cicatricibus a foliis delapsis dense inæquales. Stipulæ ad folia lanceolato-oblongæ, acuminatæ, glabræ, ad lente in aculeis innocuis albidis ciliatæ, sordide purpurascentes. Folia sunt opposita, circumscriptione magis minusve reniformia, triloba vel quinqueloba, acute crenata, glabra, subtus tamen ad venas principes tantisper hirtula, supra viridia, subtus glauca vel rarius purpurascens, firmula; longissimis donata petiolis teretibus scabriusculis & horizontaliter patentibus; floralia sessilia. Pedunculi communes alterni, biflori. Involucri foliola quatuor vel quinque, lanceolata, acuminata, glabra, ad oras ciliata, pur-

purascens. Pedicelli purpurei, fuscunciales, glabri, geniculati, a geniculo ad apicem crassiores & cuniculati. Calycis foliola quinque, lanceolata, acuminata, ciliata, virentia, quatuor reflexa, quintum superius erectum pauloque latius. Petala quinque, cuneiformia, obtusa, pallide rosea, patentia. Summa duo emarginata, sere duplo latiora, & per fasciam rubram infra medium maculata. Filamenta decem, basi connata, quorum sola sex antherifera; summum sterile lanceolatum, planum, multoque latius. Antheræ sanguineæ. Germen hirsutum. Stigma quinquefidum, supra villosum, sanguineum.

## CCCCLXXXIX.

## PELARGONIUM MELANANTHON.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Aprili & Majo. Radix rapacea, pollicem & ultra crassa, oblonga, biuncialis, perennis. Folia radicalia plura, patula, petiolata, crassula, utrinque pilis albis decumbentibus hispidula, ciliata, quatuor vel quinque uncias longa, sordide virentia, pinnata, circumscriptione oblonga. Petiolus teretiusculus, villosus, plus minus biuncialis, basi utrinque stipula lanceolata acuta villosaque alatus. Pinnae inciso-lobatae, saepius oppositae, infimæ saeppe subpetiolatae, reliquæ sessiles & decurrentes; lobis oblongis & obtusis. Scapus uncialis, crassulus, erexitus, teres, hirsutus. Umbella composita ex radiis plus minus ternis, quatuor vel quinque uncias longis, hirsutis, purpurascentibus. Involucri universalis foliola pauca, valde inæqualia, hirsuta, unum aliudve lanceolatum & acutum, reliqua foliis radicalibus magis minusve similia, sed breviora. Involucelli foliola plus minus decem, lanceolata, acuta,

hir-

hirsuta, patula, subæqualia. Pedunculi plurimi, cuniculati, villosi, semunciales. Calycis foliola quinque, lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, cum pilis imprimis ad nervum dorsalem glandulose capitatis. Petala quinque, cuneiforme-linearia, obtusa, ad medietatem usque erecta & alba, cæterum reflexa & purpureo-atra. Filamenta decem, connata, alba, erecta, quorum alterna quinque brevissima & castrata; reliqua quinque gerentia antheras oblongas & badio-rubras. Germen & stylus sunt hirsuta. Stigma quintuplex purpureum. Totum tritum odore paucò pollet,

## CCCCXC.

## PELARGONIUM CARNEUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Martio & Aprili. Radix rapacea, oblonga, pollicem crassia, fulsa, biuncialis, perennis. Folia radicalia plurimia, in orbem decumbentia, pauca minora erecta, plus minus quinqueuncialia, circumscriptione oblonga, sordide virentia, fere glabra, in margine ad lentem ciliata, odoris pauci terebinthinae, bipinnata. Petiolus duas tresve uncias longus, superne & ad oras pilis albis hispidulus, subtus glaber, basi stipula utrinque lanceolato-lineari acuta hirsutulaque alatus. Pinnæ oppositæ, utrinque saepe ternæ cum terminali impare. Pinnulæ decurrentes, in lobos duos tresve oblongos incisa. Scapus teres, erectus, semipedalis, purpurascens, rariter pilosus. Umbella in nostris individuis plantis (an semper?) simplex. Involucri foliola circiter quindecim, linearis-lanceolata, acuta, brevia, hirsuta, ciliata, virentia. Pedunculi biunciales, crassuli, plus minus septem, pilosuli, rubri; quantumvis longi, tamen ad basin usque cuniculati. Calycis

foliola quinque, linearis-lanceolata, acuminata, villosa, ciliata, virentia, patula, petalis fere duplo breviora. Petala quinque, subcuneiformia, obtusa, patula nec reflexa; summa duo triplo latiora, emarginata venisque ramosis & rubris percursa; omnia primo die pallida, altero & subsequebus carneâ, interdiu expansa, noctu contracta clausaque. Filamenta decem, connata; alterna quinque brevia & castrata; alia quinque antheras gerentia coccineas. Germen sericeum. Stigma purpureum.

## CCCCXCI.

PELARGONIUM RAPACEUM. *Ait. kew. 2. pag. 417.*

*Geranium africanum myrrhidis folio, flore albicante, radice rapacea.*

*Comm. hort. 2. pag. 125. tab. 63.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Majo. Radix carnosa, duas uncias & ultra crassa, disformiter multiceps, hinc sœpe semipedem lata, intus alba, foris purpurascens, cortice vestita fuscescente, perennis. Folia radicalia, basi stipulata, plurima, tota pilosula & ciliata, a dimidio pede ad pedem & ultra longa, vix duas uncias lata, petiolata, bipinnata; inferioribus alternis, superioribus oppositis; pinnulis lanceolato-linearibus, trifidis bifidis & simplicibus, acutis. Umbella composita. Scapus communis teres, brevis, hirsutus. Scapi particulares plusculi, hirsutuli, erecti sculi, foliis fere longiores. Involucrum universale polyphyllum ex foliolis lanceolatis, acutis, pilosulis, ciliatis, brevibus; aliisque paucis, quæ foliis radicalibus similia sunt, at multo breviora. Involucrū partialis & polyphylli foliola lanceolata, acuta, hirsutula & ciliata. Um-

bel-

Iarum radii five pedunculi compressi, villosi, cuniculati, & unciales. Flores inodori. Calyx sericeus & ciliatus viret. Petala in principio albida sunt, dein magis rosea fiunt; superiora duo basi maculis sanguineis præterea adsperguntur. Filamenta pallent. Antheræ saturate purpurascunt. Germen villosulum definit in stylum sericeum. Stigma purpureum.

**CAL.** Perianthium pentaphyllum, foliolis lanceolatis, acuminatis, subæqualibus; summo ad dimidiam longitudinem erecto, dein ad parallelum situm reflexo; quatuor reliquis totis reflexis.

**COR.** pentapetala, papilionacea, calyce paulo longior.

Vexillum dipetalum; foliolis linear-lanceolatis, concavis, obtusulis, totis reflexis cum unguibus brevibus erectis.

Alæ duæ, oblongæ, obtusæ, concavæ, latæ, situ vexillo oppositæ, antrorsum porrectæ, basi truncata & breviter unguiculata.

Carina monopetala, unico ungue donata, connivens, figura & situ alarum.

**STAM.** Filamenta decem, subulata, basi connata, recondita in carina, subfalcata, alterna brevia & sterilia, alia quinque longiora & fertilia. Antheræ oblongæ, obtusæ, erectæ.

**PIST.** Germen pentagonum. Stylus situ staminum. Stigma quinquefidum, adscendens, carina longius.

**PER.** . . .

**SEM.** . . .

## CCCCXCII.

PELARGONIUM LONGIFOLIUM. *Cavan. diff. pag. 235. tab. 102.*  
*fig. 1.*

*Geranium calycibus monophyllis, foliis simplicibus, oblongo-lanceolatis,  
radice tuberosa. Burm. ger. num. 67. tab. 2.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos Martio & Aprili. Radix rapacea, subrotunda, pollicem crassa, unciam longa, fusca, perennis. Folia radicalia plura, simplicia, lanceolata, integerrima, acuta, glabra, convexula, ad oras per lentem villosula, saepe reflexula, duas uncias longa; suffulta petiolo biunciali, inferne villosulo, ad basin alato utrinque stipula scariola, albida, acuta & dentato-ciliata. Nonnunquam folia quædam serius prodeunt minora & pinnata ex pennis lanceolato-linearibus acuminatis & decurrentibus. Scapus teres, gracilis, debilis, viridis, glaber, erectiusculus, semipedalis. Umbella composita ex radiis plus minus quatuor, semipedalibus, villosis, & successive elongandis. Involucrum universale polyphyllum ex foliolis inæqualibus, villosis, acutis, sublinearibus; uno aliquo saepe multo majore & lobato. Involucelli foliola sere tot, quot sunt flores, linearia, acuta, villosula, erecta. Florum pedunculi purpurei, semunciales, villosi, cuniculati. Calycis pentaphylli foliola linearis-lanceolata, acuta, villosa, virentia, patentia. Petala quinque, cuneiformia, obtusa, semireflexa, uniformiter ex purpureo rubra; duo superiora paulo latiora. Filamenta novem, basi connata, alba, quinque castrata, quatuor reliqua antheras gerentia oblongas rubrasque cum pol-

polline flavo. Germen subrotundum, quinquesulcatum, viride, pilis albis sericeum. Stylus stigmaque revolutum & quinquefidum rubent.

## CCCCXCIII.

## PELARGONIUM DEPRESSUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Martio & Aprili. Radix rapacea, subrotunda vel oblonga, pollicem crassa, fusca, perennis. Folia radicalia plura, anguste & longe lanceolata, basi valde angustata, acutula, plana, integerrima, glabra, ad oras per lentem villosula, lâte virentia, tres quatuorve uncias longa cum petiolo bi- vel triunciali, villosulo basique utrinque alato stipula acuta ciliata & purpurea albave. Scapus gracilis, erectus, teres, fere glaber, semipedalis & ultra. Umbella composita ex tribus quatuorve radiis quadriuncialibus, teretibus, villosis. Involucri universalis & subpentaphylli foliola lanceolato-linearia, acuta, ciliata, inæqualia. Folia involucelli linearia, acuta, villosa, parva, patentia, fere tot, quot sunt flores. Pedunculi plus minus octo, unciales, villosuli, canaliculati, primo umbellam convexam, dein in orbem patentissimi umbellam formantes planam & depresso. Calycis pentaphylli folia lineari-lanceolata, acuta, villosa, patentissima, virentia cum oris albidis, petalis triplo breviora. Petala quinque, lanceolato-linearia, acutula, semireflexa, ochroleuca; quorum duo suprema pauxillo latiora inque medio atrosanguinea sunt. Filamenta novem, alba, connata; quorum quinque brevia & castrata sunt; quatuor reliqua antheras gerunt oblongas coccineasque cum polline flavo. Germen longe ovatum, villosum, viride. Stylus & stigma quinquefidum sunt sanguinea.

CCCCXCIV.

## PELARGONIUM LONGIFLORUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Majo. Radix rapacea, pollicem & ultra crassa, oblonga, fusca, perennis. Folia radicalia pluscula, ex longe angustata basi lanceolata, acuta, integerrima, utrinque glabriuscula, ad oras per lentem villosula, a tribus ad quinque uncias longa cum petiolo glabriuscule & ejusdem plus minus longitudinis, basi alata utrinque stipula anguste lanceolata acuta & glabriuscula. Scapus teres, glabriusculus, flexuosus, debilis, plus minus semipedalis. Umbella composita ex radiis saepius binis, villosis, duplo brevioribus scapo. Involucri universalis foliola pauca, linearis-lanceolata, acuta, villosa, inæqualia, unum alterumve folio radicali simile, at vix biunciale. Involucri partialis foliola prioribus similia, sed æqualia. Pedunculi cuniculati, villosi, unciales vel fuscunciales, a quatuor ad septem. Calycis virentis foliola quinque, linearis-lanceolata, acuta, villosa; summo erecto; reliquis reflexis. Petala quinque, linearia, acutula, canaliculata, inferne erecta, cæterum patentissima, fuscuncialia, ochroleuca cum fascia longitudinali supra unguem purpurea, in summis duobus saturatissima. Petalum sumnum alterutrum nonnunquam fissum est, saepè vel ad ipsam usque basin, ut corolla tunc credi possit hexapetala. Filamenta decem, connata, omnium brevissima, quorum tantum quatuor antheras gerunt, alternantia cum sterilibus sic, ut sterilia tria uno ordine vicina ponantur. Antheræ oblongæ, obtusæ, rubræ. Germen villosum.

CCCCXCV.

CCCCXCV.

## PELARGONIUM CILIATUM.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Majo. Radix rapacea, fusiformis, fulca, tres uncias longa, sæpe multiceps, perennis. Folia sunt anguste & elongate lanceolata, utrinque acuta, integerrima, plus minus triuncialia cum petiolo hirsuto ejusdem longitudinis, subtus glabra, facie & ad oras pilosa; quædam basi uno altero ve foliolo parvo linearis-lanceolato acutoque appendiculata; in ortu utrinque alata stipula lanceolata acuta hirsutaque. Scapus semipedalis & ultra, teres, erectus, hirsutus. Umbella composita ex radiis tribus quatuorve triuncialibus hirsutis. Involucri universalis foliola pluscula, linearis-lanceolata, acuta, hirsuta, uno plerumque multo majori. Involucelli foliola similia, sed omnia subæqualia. Pedunculi quinque aut plures, cuniculati, semunciales, hirsuti. Calycis virentis & hirsuti foliola quinque, lanceolata, acuta, quatuor patentissima, summo erecto. Petala quinque, linearis-cuneiformia, obtusula, inferne erecta, cæterum patentissima, calyce duplo longiora, ochroleuca; inferiora tria immaculata; summa duo supra unguem ad medietatem usque laminæ atrosanguinea. Filamenta decem, connata, brevissima, alterna quinque breviora castrata, alia quinque antheras gerentia rubras. Germen villosum. Differt imprimis a Pelargonio longifolio & depresso staminibus decem, a longifloro filamentis quinque antheriferis.

CCCCXCVI.

## PELARGONIUM BARBATUM.

Promontorium bonæ Spei patria est. Floret apud nos Aprili. Radix rapacea, subrotunda, pollicem & ultra crassa, fulca, perennis. Folia radicalia plura, semipedalia & ultra, longe petiolata, glabra, lète virentia, basi utrinque alata stipula lanceolato-lineari acuta rubella glabraque, pinnata; pinnis linearie-lanceolatis, acutis, integerrimis, decurrentibus, apice pilis binis vel ternis barbatis, aliis simplicibus, aliis bi-vel trifurcatis. Scapi brevissimi, vix unciales, erecti, hirsutuli. Umbella composita ex radiis plus minus ternis, quadriuncialibus, hirsutulis. Involucri universalis foliola plura, hirsuta, lanceolato-linearia, acuta, inæqualia; quorum unum aliudve folio radicali sæpe simile est, sed multo brevius & hirsutulum. Involucelli foliola plura, lanceolata, acuta, hirsuta, subæqualia. Pedunculi villosi, vix superantes involucellum, rubelli. Calycis foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, subæqualia, villosa, ciliata, quorum quatuor patentia-reflexa, quintum erectum. Petala quinque, lineari-cuneiformia, obtusa, semireflexa, pallidissime rosea; quorum duo superiora approximata duplo sunt latiora, quandoque emarginata, & inferne duabus lineis rubris notata; tria inferiora sic unilineata. Filamenta decem, connata, alba; quinque alterna brevia & castrata; alia quinque gerentia antheras oblongas & cinnabarinas. Germen viride, sericeum. Stylus purpureus & villosus. Stigma quintuplex, purpureum.

CCCCXCVII.

CCCCXCVII.

## PELARGONIUM HETEROPHYLLUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei ; apud nos florens Martio & Aprili; tritum odoris terebinthinacei. Radix rapacea, pollicem crassæ, biuncialis, nigra, perennis. Folia radicalia plura, in orbem sita, viridia, ad oras multum pilis erectis rigidulisque ciliata, in utraque tamen facie glabra, petiolo hispidulo donata ad basin utrinque alato stipula lanceolato-lineari & hirsuta, una cum hoc a duabus ad quatuor uncias longa, cæterum valde variantia in eadem æque ac in diversa planta; modo acuta, modo obtusa; ternata cum lobo medio magis minusve profunde trilobo, eoque vel maximo, vel foliolis lateralibus subæquali; & his modo integerrimis, modo excisis; vel simplicia, ovata, parva, integra vel obsolete triloba. Scapus est erectus, hispidulus, unam alteramve unciam longus, viridis. Umbella composita ex radiis tribus vel quatuor, semipedalibus, purpurascientibus, hispidis. Involucri universalis foliola plura, lanceolata, acuta, hirsuta, reflexa, inæqualia cum foliolo uno sæpe majori ternato. Involucelli foliola plura, lineari-lanceolata, acuta, hirsuta, reflexa, æqualia. Pedunculi plus minus octo, unciales, cuniculati, purpurascentes, hispiduli. Calycis pallide virentis foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, hirsuta, patentissima, summo erecto & concavo. Petala quinque, ex ungue longo erecto que cuneiformia, superne reflexa, obtusa, calyce duplo longiora, alba; duo superiora pauxillo latiora & supra unguis approximatius macula longa atrosanguinea insignita. Filamenta decem, alba; quinque alterna breviora sterilia; alia quinque donata antheris oblongis & carneis.

B b 3.

Stig-

Stigma quinquefidum rubet. Germen sericeum est. An forte sola varietas est Pelargonii hirsuti Horti kewensis?

## CCCCXCVIII.

## PELARGONIUM NERVIFOLIUM.

Patria Promontorium bonæ Spei est. Floret apud nos Martio & Aprili; tritum odoris pauci terebinthinacei. Radix rapacea, biuncialis, digitum vel pollicem crassa, fulsa, perennis. Folia sunt obtusula, multinervia, glabra, ad lentem per oras pilis albis erectisque subaculeato-ciliata, petiolata; alia simplicia & subovata; alia ternata; alia triloba cum lobis lateralibus minoribus; foliolis omnibus modo integerrimis, modo inciso-bifidis. Stipula utrinque ad basin petiolis lanceolata, acuminata, hirsutula. Ipse etiam petiolus inferne hirsutulus est. Scapus erectiusculus, plus minus triuncialis, teres, asperiusculus, pilosus. Umbella composita ex radiis plerumque tribus, semipedalibus, pilosis, teretibus. Involucrum universalis foliola plus minus octo, lanceolata, acuta, subæqualia, hirsuta. Involucelli foliola prioribus similia. Pedunculi a quinque ad decem, hirsuti, biunciales, toti ad basin usque cuniculati. Calycis foliola quinque, lanceolata, acuminata, dorso pilosa, ad oras lanata, æqualia, patentissima, pallide virentia cum oris albidis. Petala quinque, calyce duplo longiora, cuneiformia, obtusissima, in orbem sita, reflexo-patientissima, alba; quorum duo superiora latiora, & striis duabus ramosis rubris, ex basi ortis, eleganter picta. Filamenta decem, alba, connata; quorum quinque alterna sterilia & brevissima; alia quinque donata antheris oblongis. Germen sericeum. Stigma quintuplex, purpureum.

## CCCCXCIX.

CCCCXCIX.

## PELARGONIUM TRIPHYLLUM.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Aprili. Radix rapacea, digitæ longitudine & crassitie, fusca, perennis. Folia radiæ plura, ternata, rarissime unum aliudve minus tantum lobatum. Foliola ovata, obtusula, brevissime petiolata, crenulata, glabra, ad oras per lentem obsoletissime ciliata; lateralibus parvis, intermedio sescunciali. Petiolus communis duas tresve uncias longus, inferne hirsutus, basi alatus utrinque stipula linearis acuta & hirsuta. Scapus biuncialis, teres, hirsutus, erectus. Umbella composita ex radiis mutuo solito more succedentibus duobus vel tribus, semipedalibus, hirsutis. Involucri universalis foliola pauca, lanceolata, hirsuta, inæqualia. Involucelli foliola plura, lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, reflexa, parva. Pedunculi plus minus decem, cuniculati, unciales, hirsuti. Calycis reflexi foliola quinque, lanceolata, acuta, hirsuta, ciliata, subæqualia. Petala quinque, cuneiformia, obtusa, basi erecta, dein patentissima, rosea, calyce paulo longiora; quorum superiora duo fere duplo latiora, paulo longiora, & inferne ex sanguineo punctata. Filamenta decem, connata; quinque alterna brevia & sterilia; quinque alia superne sanguinea, antherifera. Germen sericéum. Stylus & stigma quinquefidum atrosanguinea.

D.

## D.

## ERODIUM TRILOBATUM.

Ex Promontorio bonæ Spei est; sempervirens in tepidariis nostris, & florens primo vere & æstate. Tota planta hirsuta est, viscida, fætidula & scabriuscula. Radix diametri fescuncialis; supra terram caulescens, multiceps, inæqualis, squamosa; teres, dilute fuscescens, perennis. Caules virides, herbacei, debiles, erecti scutuli, ramosi, bipedales & ultra, inferne triquetri, cæterum teretes. Folia opposita, petiolata, tripartita; lobis ex basi angustiore subrotundis, obtusis, serratis, una alterave incisura excisis. Stipulæ plerumque ternæ, ovatæ, acutæ, scarioles, fulcescentes. Pedunculi axillares, alterni, foliis longiores, patuli, umbelliferi. Involucri foliola pauca, evata, acuta, hirsuta, parva, patentissima. Pedunculi proprii plus minus septem, fescunciales, hirsuti, patentissimi. Calycis foliola lanceolata, acuta, parum concava; striatula, hirsuta, quorum tria duplo latiora duobus reliquis. Petala quinque, obverse ovata, unguiculata, rotundata, plana, patentissima, calyce paulo longiora, pallidissime carnea venisque percursa purpureis, æqualia; quorum duo ad basin maculam gerunt trifidam & eleganter ex purpureo-rubro punctatam. Filamenta decem, erecta; quinque alterna linearis-lanceolata, acuta, breviora, albida, sterilia; alia quinque; subulata, petalis duplo breviora, purpurascentia, fertilia. In his antheræ sunt oblongæ, obtusæ, subdidymæ, in-cumbentes, sordide purpurascentes cum polline ex badio aurantiaco. Glan-dulæ depresso & virescentes ad dorsalem basin cuiuslibet filamenti fertilis unica. Germen oblongum, quinquelobatum, hirsutulum. Stigmata quinque, filiformia, purpurea.

DI.

## DI.

## ALBUCA FLACCIDA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; florens in caldariis & tepidariis nostris Decembri & Januario. Tota glabra. Bulbus subrotundus, tunicatus, avellanæ magnitudinis aut major. Folia radicalia pluscula, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, canaliculata, striatula, flaccida, basi mutuo amplexantia, longiora sesquipedalia. Scapus teres, calatum crassus, bipedalis, erectiusculus, debilis, hinc flexuosus, superne racemosus. Bracteæ ad pedunculos lanceolato-acuminatæ, integerrimæ, partim fuscescentes & membranaceæ, plus minus unciales. Pedunculi uniflori, patentissimi, plus minus biunciales. Flores penduli, inodori. Petala pallide flavent cum fascia longitudinali media viridula. Filamenta albent. Antheræ & stigma flavent. Germen & stylus virent.

**CAL.** nullus.

**COR.** Petala sex, oblonga. Tria alterna exteriora patentissima, apice acutulo fornicata. Tria interiora erecta, conniventia, aucta apice appendicula convoluta, paulo breviora.

**STAM.** Filamenta sex, planiuscula, erecta, petalis paulo breviora; quorum tria ante petala interiora posita, basi dilatata, fertilia; alterna tria reliqua sterilia & apice inflexa. Antheræ in filamentis fertilibus oblongæ, incumbentes.

**PIST.** Germen superum, oblongum, triquetrum. Stylus crassus, triquetrus, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex.

**PER. & SEM.** . . .

C c

DII.

## DII.

## ALBUCA AUREA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Martio & Aprili. Tota glabra. Bulbus subrotundus, depresso-tuberculatus, tunicatus, albus, siccus 15 mm. diametri. Folia radicalia plura, bipedalia, semunciam vel & duas tertias unciae partes inferne lata, lanceolato-linearia, acuta, integerima, subtilissime striata, virentia cum fascia longitudinali albicante in utraque pagina, inferne plana, dein canaliculata, superne in subulatum apicem conniventia, basi tantum erecta, dein tota debilia in terram prostrata. Scapus teres, calamo fere crassior, erectus, firmus, foliorum fere longitudo, supra medium flexuosus & corymbose racemosus. Pedunculi plures, teretes, crassuli, firmi, erecti æque in fructu quam in flore, tres quatuorve uncias longi. Bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, conniventes, erectæ, unciales. Flores inodori, erecti, elegantes. Petala late lutea cum fascia longitudinali utrinque viridi. Filamenta alba. Antheræ ochroleucæ. Germen viride. Stylus & stigmata lutea.

CAL. nullus.

COR. Petala sex, oblonga, apice callosa. Tria exteriora plana, omnium patentissima, paulo longiora. Tria interiora erecta, concava, apice introrsum inflexo fornicata.

STAM. Filamenta sex, filiformia, erecta, petalis paulo breviora, alterna tria ad basin dilatata. Antheræ oblongæ, incumbentes, alternæ in filamentis dilatatis duplo majores.

Pist.

**PIST.** Germen superum, oblongum, triquetrum, inferne excrescens in substantiam calycem tripartitum mentitam. Stylus triquetrus, crassus, erectus, totus erosulus, longitudine staminum. Stigmata tria, subrotunda, capitata, muricata.

**PER. & SEM.** . . .

### DIII.

#### ALBUCA CAUDATA:

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos in caldariis floret Decembri & Januario. Tota glabra. Bulbus rotundato-ovatus, pugni volumine, tunicatus. Folia pauca, lanceolato-linearia, acuta, canaliculata, integerrima, ad apicem teretia & subulata, firmula, erecta, pedalia. Scapus bipedalis, teres, calatum crassus, debilis, hinc vix se erigere potens, forte firmior sub dio in loco natali. Racemus dimidiatus fere scapi partem occupans, laxus. Bracteæ linearis-lanceolatæ, acutæ, unciales, primum virides, dein fuscescentes. Pedunculi uniflori, teretes, patentissimi, plus minus triunciales. Petala omnia sunt alba cum fascia longitudinali media viridi in utraque facie; interiora apice lutea. Filamenta alba. Antheræ albæ cum polline flave. Germen & stylus virent. Stigma flavescit. |

**CAL.** nullus.

**COR.** Petala sex, oblonga, obtusa cum apice calloso & fornicato. Tria exteriora plana, patentissima, paulo longiora. Tria interiora concava, erecta.

C c 2

STAM.

**STAM.** Filamenta sex, subulata, plana, erecta, longitudine petalorum interiorum; quorum alterna tria, ante petala interiora posita, basi dilatata, & deductis petalis extrorsum vergentia. Antheræ in omnibus filamentis oblongæ, incumbentes, in dilatatis basi filamentis duplo majores.

**PIST.** Germen superum, oblongum, triquetrum, inferne excrescens in substantiam calycem tripartitum mentientem. Stylus clavatus, triquetrus, crassus, erectus, longitudine staminum. Stigma conicum.

**PER. & SEM.** . . .

#### DIV.

### ANTIRRHINUM PARVIFLORUM.

Floret sub dio totam æstatem. Ex radice ramosa, albicante, annua fereque calamum crassa plurimi attolluntur caules, plus minus pedales, erecti, teretes, glabri, graciles, a medio superiora versus in ramos simplices & erectiusculos paniculati. Folia sunt lanceolato-linearia, acutula, integerrima, sessilia, plus minus uncialia, patentia, crassula, glauca, glabra, plana; inferiora quina vel quaterna, superiora sparsa. Racemi terminales, erecti, a quatuor ad sex uncias longi, villis ad lentein capitatis hirsuti; fructibus distantibus, breviter pedicellatis, erectis. In principio flos unicus caulem ramosque terminat, ultra quem dein successive hi elongantur in racemos fructescentes, unicum semper florem in summitate gerentes. Bractæ ad pedicellos foliis similes, sed longe minores. Flores minutti, inodori. Calycis foliola oblonga, glandulose villosa. Corolla calyce duplo longior; labio superiori erecto, bifido, pallente cum striis purpureofuscis;

la-

laciniis lanceolatis, obtusulis, dorso conniventibus; labio inferiori luteo, semitrifido in lacinias semiovatas. Palatum saturatius luteum. Calcar longum, rectum, pallidum, striatum. Capsula subrotunda, glabra, straminei coloris, bilocularis; dehiscens in valvulas sex, campanulata. Semina plura, orbiculata, plana, fusca, crenata.

## DV.

AMARYLLIS LONGIFOLIA. *Linn. Syst. pag. 320. Ait. hort. kew. vol. 1. pag. 419.*

*Lilium africanum humile*, longissimis foliis, polyanthos, diluto colore purpurascens. *Herm. lugd. pag. 682.*

Creicit ad Promontorium bonaë Spei; apud nos florens sub dio mense Julio, dum per hyemem servatur in tepidario. Tota glabra est; floresque producit, dum jam folia adulta sunt. Bulbus ovato - subrotundus, tunicatus, foris fuscescens, magnitudine dimidi pugni. Folia radicalia plus minus octo, basi vaginantia & mutuo amplexantia, integerrima, acuta, crassula, glaucescentia, magis minusve reclinata; exteriora lanceolato-linearia, inferne semunciam lata, bipedalia, parumque canaliculata; interiora multo angustiora totaque canaliculata. Scapus lateralis ad folia, erectus, digitum crassus, hinc convexus, inde planulus, pedalis & ultra. Spatha diphylla, scariosa. Pedunculi plus minus quini, umbellati, uniflori, triangoni, crassi, erecti, breves. Flores levissime odorati, semipedales. Collare tubus cylindricus, trigonus, pallidus, curvulus. Limbi campanulati & sexfidi laciniæ linear-i-lanceolatæ, acutæ, æquales, erectiusculæ, tubo

breviores, roseæ cum oris pallidis; alternæ exteriores ad apicem callosulæ. Filamenta sex, subulata, declinata, superne adſcendentia, alba. Antheræ oblongæ, incumbentes, sulphureæ. Germen inferum, ovatum, nitidum. Stylus purpurascens, ſitu ſtaminum iisdemque paulo longior. Stigma ca-pitatum.

## DVI.

MALVA ELEGANS. Tab. 6. fig. 1. Cavanill. diff. pag. 59. num. 96.  
tab. 16. fig. 1.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Sempervirens floret apud nos primo vere & æstate. Frutex quadripedalis, erectus; caule juniore ramis-que tomentofolis. Folia ſunt pinnatifide lobata, quæ ſæpius tripartita dici poſſent, alterna, petiolata, biuncialia; lobis cuneiformibus, ſuperne loba-to - incifis, obtufis, ad apices crenatis, crifpis, venofis, utrinque tomen-tofis, ſubtus magis incanis. Stipulae lanceolatae, acuminatae, erectæ, in-canæ, parvæ. Pedunculi axillares, ſolitarii, erecti, breves, uniflori, la-nuginosi. Calyx uterque lanuginosus & incanus. Exterioris foliola tria li-neari - lanceolata, acuta. Interioris ſemiquinquefidi laciniæ ovatae, acutæ, duplo exterioribus longiores. Petala alba, patentissima, calyce duplo lon-giora, oblique cuneiformia & profunde emarginata, ſive obverfe cordato-cuneiformia, plicato - ſtriata, plusquam uncialia. Filamenta numeroſa, in unum corpus coalita, petalis duplo breviora. Antheræ ochroleucæ. Ger-men globosum, pallide roſeum, pilis decumbentibus hirsutum. Stigmata plus minus octodecim, ſuperne latescentia, reflexa, rubra.

## D VII.

## DVII.

## MALPIGHIA GLANDULIFERA.

Crescit in sylvis ad Caracas. In caldariis nostris floret Julio & Augusto; at fructu caret. Arbuscula duodecimpedalis, ramosa. Folia sunt ovata, acuminata, rarissimis obsoletisque crenulis incisa, opposita, breviter petiolata, a tribus ad quinque uncias longa. Racemi axillares, solitarii, simplices, erecti, quatuor vel quinque uncias longi, a medietate ad apicem usque emittunt pedicellos oppositos, breves, crassos, patulos, superne glandula nitida truncata viridique instructos. Calycis foliola parva & villosula. Glandulæ calyci subjiciuntur octo, ipso calyce majores, ovatæ, carnosæ, sordide lutescentes, magnitudine inæquales. Petala sunt lutea, ad oras crispata, unguibus canaliculatis, laminis subrotundis. Stylus unicus, simplex, crassus. Stigma capitatum, planum, subtrifidum. Rami juniores, racemi, pedicelli, petioli & foliorum pagina utraque obsidentur pilis decumbentibus, nec ad tactum sensibilibus, nec nudo oculo discernendis.

## DVIII.

## DVII.

OCYUM GRATISSIMUM. *Linn. Syst. pag. 545.*

*Ocymum zeylanicum* perenne odoratissimum latifolium. *Burm. zeyl. pag. 174. tab. 80. fig. 1.*

Patria Ceylona est; in caldariis nostris florens æstate; totum gratissimo caryophyllæo odore præditum. Caulis suffruticosus, basi tandem lignosus digitumque crassus, erectus, ramosus, bipedalis, junior, uti & rami, tetragonus hirsutus & asperiusculus. Rami hyeme sæpe intereunt. Folia sunt opposita, petiolata, ovata, acuta, basi angustata versus petiolum, atque hinc etiam hic acuta, obtuse ferrata, utrinque villosula & rugosa, subtus punctis rotundatis & virentibus dense excavata, crassula, mollia, longiora una cum petiolis hirsutis semipedalia. Racemi terminales in caule ramisque, ut plurimum terni, erecti, dense verticillati, teretes, villosi, sordide purpurascentes, a tribus ad quinque uncias longi. Verticilli sexflori, pedicellis levibus erectisque, suffulti bracteolis duabus oppositis ovato-acuminatis villosis minutis & caducis. Calycis quinquefidi acuminati purpureisque villis hirsuti lacinia superior ovata & maxima; reliquæ subulatae; infimæ duæ approximatæ. Corollæ resupinatae, foris villosæ, albidæque cum limbo violaceo, laciniæ quinque ovatae & obtusæ; quæ calycis laciniæ majori opponitur, reliquis major. Filamenta duo processu augmentur.

## DIX.

## SOLANUM MILLERI.

*Solanum trilobatum floribus parvis albis.* Linn. *Spec. pl. pag. 270.*

*Solanum Schira - schuna.* Mill. *dict.*

Crescit ad Promontorium bonæ Spei ; florens in caldariis nostris æstate. Frutex erectus, ramosus, basi lignosus, tripedalis. Aculei subulati, recti & recurvi, validi, sparsi, in trunco ramis petiolis & foliorum venis principibus in utraque pagina. Folia alterna, petiolata, glabra, obtusa, circumscriptio oblonga, pinnatifide lobata lobis oblongis & parumper repandis, longiora una cum petiolis quadriuncialia. Folia in ramulis summa dumtaxat sinuata sunt parvaque. Pedunculi ramei, semunciales aut breviores, graciles, uniflori, inermes, solitarii vel bini aut terni. Calycis inermis & semiquinquefidi laciniæ acutæ & patulæ. Corolla alba cum laciniis ovatis acutisque. Bacca in pedunculo incrassato & cernuo subrotunda, glabra, flava, piselli magnitudine.

## DX.

## CONVOLVULUS HUMILIS. Tab. 22. fig. 2.

Patriam ignoro. Crescit in horto sub dio, annua planta, & ex seminibus delapsis sponte se propagat, florens Julio, semina perficiens Augusto. Radix ramosa, albida. Caules erecti, plurimi, nonnunquam basi adscendentis, teretes, a duabus ad quinque uncias alti, simplicissimi, vil-

losuli. Folia alterna, oblonga, obtusa, integerrima, ciliata, utrinque plus minus hirsuta, virentia, patula, plus minus uncialia, infima petiolata, superiora sessilia. Flores axillares, solitarii, sessiles. Calycis pentaphylli & persistentis foliola ovato-acuminata, hirsuta, erecta, inæqualia. Corollæ carneæ tubus infundibuliformis, calyce duplo longior; limbus campanulatus, semiquinquefidus, laciniis semiovatis & acutis. Filamenta alba, subulata, brevia. Antheræ hastatæ, flaventes. Germen subrotundum, pilosum. Stigma bifidum; laciniis linearibus, teretibus. Capsula subrotunda, pilosa, bilocularis. Semina in quolibet loculo gemina, hinc convexa, inde angulata, glabra.

## DXI.

## CONVOLVULUS PENTANTHOS.

Patria ignota est. In caldariis floret Novembri, Decembri & Januario, sempervirens, sed fructum huc usque non dedit. Ex radice ramosa caules plusculi attolluntur, ramosissimi, inferne lignescentes, una cum ramis omnibus persistentes, sexpedales, vix calamum crassi, volubiles, teretes, glabri. Folia sunt alterna, petiolata, elongato-cordata, acuminata, obiter repanda, cæterum integerrima, utrinque glabra, ad oras per lentem obscure villosula, biuncialia cum petiolo tereti semunciali. Pedunculi communes axillares, solitarii, patuli, ad lentem villosuli, plus minus scanciales, apice flores fere quinos successive prodeuntes florentesque subumbellatim sustinent, singulos pedicellis propriis brevissimis insidentes, qui sufficiuntur bracteis lanceolatis acuminatis & integerrimis. Calycis foliola glabra & ad lentem in oris ciliata; exteriora majora, subrotunda cum producto

ducto utrinque acuminata, integerrima & lateribus reflexa; interiora lanceolato-acuminata. Corolla campanulata, patens, profunde cærulea cum stella pallidiore, limbi quinque lobis rotundatis cum acumine. Antheræ pallidæ. Stigma bifidum, laciniis oblongis.

## DXII.

## CYANELLA ORCHIDIFORMIS.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret in tepidario Novembri & Decembri; orchidi eminus sic similis, ut fallat speßtantem. Bulbus subrotundus, uncialis diametri, tunica reticulata fusca tectus. Tota glabra est. Folia sunt elongate lanceolata vel oblonga, acuminata, ad oras minutissime cartilagineo-denticulata, nitida, infima duo radicalia velut in petiolum angustata, reliqua caulina alterna, basi canaliculato-vaginantia, a quatuor ad sex uncias longa. Caulis erectus, tandem ex alis ramosus, subangulatus, erectiusculus, debilis, hinc plus minus flexuosus, pedem vel sesquipedem altus. Flores racemosi, inodori. Bracteæ ad pedunculos linear-lanceolatæ, acutæ, virides, tandem unciales. Corolla violaceo-purpurea. Filamenta pallida, tria superiora superne flaventia. Antheræ fuscæ, basi flavæ. Germen viride. Stylus albus.

CAL. nullus.

COR. Petala sex, oblonga, obtusa, plana. Tria exteriora, quorum duo superiora reflexa; tertium infimum patentissimum. Tria interiora veluti in unguem convexum angustata, patentissima.

D d 2

STAM.

**STAM.** Filamenta sex, crassa, brevia; tria sursum, tria his opposita deorsum arcuata. Antheræ oblongæ, magnæ, erectæ, sulcatæ, omnes apice perforatæ.

**PIST.** Germen superum, subrotundum, triquetrum. Stylus filiformis, ad stamina inferiora declinatus, iisdem brevior. Stigma simplex, obtusum.

**PER.** Capsula. . . .

**SEM.** . . . .

### DXIII.

#### ADENANTHERA PAVONINA. Tab. 23. Linn. syst. pag. 398.

Poinciana foliis duplicato - pinnatis, foliolis alternis. Linn. hort. cliff. pag. 158.

Corallaria parvifolia. Rumph. amb. 3. pag. 173. tab. 109.

Mandsiadi. Rheed. mal. vol. 6. pag. 25. tab. 14.

Sponte crescit in Malabaria, Zeylona & Amboina, arbor vastissima. In caldariis nostris ex semine enata, altero jam anno tripedalis copiose floruit, at non produxit fructum, floribus una cum pedicellis brevi deciduis. Tota glabra est. Truncus erexitus, teres, cortice fulco. Rami juniores virides, nitidi. Folia bipinnata cum pinna terminante impari, patentia. Costa media plus minus semipedalis, teres. Pinnæ utrinque tres, a tribus ad quinque uncias longæ, oppositæ. Pinnulæ utrinque plus minus septem cum terminante impare, alternæ, ovatæ, obtusæ, integerrimæ, unciates. Racemi axillares, solitarii, erecti, cylindrici, semipedales, flo-

ribus numerosis onusti. Pedicelli proprii breves, patentissimi. Calyx e  
viridi pallid. Corolla ochroleuca & patentissima post paucas horas evadit  
lutea & dein attollitur in formam infundibuli. Antheræ flavent. Filamenta  
numeravi non raro plura ad quatuordecim.

**CAL.** Perianthium inferum, monophyllum, campanulatum, quinquedentatum, minimum.

**COR.** Petala quinque, anguste lanceolata, acutula, convexula, patentissima.

**STAM.** Filamenta decem, subulata, erecta, petalis breviora, supra antheram in capitulum globosum terminata. Antheræ oblongæ, di-dymæ, erectæ.

**PIST.** Germen oblongum. Stylus subulatus, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex.

**PER. & SEM.** . . .

## DXIV.

**EUCOMIS NANA.** *Ait. kew. vol. 1. pag. 432.*

**Fritillaria nana.** *Burm. flor. cap. pag. 9. Linn. syst. pag. 325.*

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Februario, Martio & Aprili. Tota glabra est. Bulbus ovatus, tunicatus, foris fuscus, ponderosus, pugni magnitudine, fibris ex basi albis crassisque capillatus. Folia radicalia plura, a septem ad decem, cuneiformi-oblonga, obtusula, crassula, ad oras cartilagineo - denticulata, lineata, utrinque ad lentem

minutissime punctata, basi adscendentia & parumper canaliculata mutuoque  
amplexicaulia, in orbem dein expansa & patentissima, a sex ad octo uncias  
longa, plus minus duas uncias lata, nervo medio subtus protuberante. Scapus  
in extimo folio axillaris, hinc ad fasciculum reliquorum foliorum late-  
ralis, clavatus, infra folia fere pollicem crassus, teres, firmus, solidus,  
flexuosus, erectus, semipedalis, nitidus, inferne nudus, dein floribus fæ-  
tidulis sessilibusque dense spicatus. Bracteæ inferiores ovatæ & florum lon-  
gitudine; superiores lanceolatæ, acutæ, longiores, ad oras cartilagineo-  
denticulatæ, virides, patentes; summae comosæ, numerosæ, longiores,  
floribus destitutæ. Flores solitarii, virides.

**CAL.** nullus.

**Cor.** submonopetala, campanulata, infera, persistens, sexpartita; foliolis  
oblongis, obtusis, æqualibus, planis, superne patentiusculis.

**STAM.** Filamenta sex, subulata, erecta, incurvula, corolla paulo brevio-  
ra, basi latiore inter se & cum petalis concreta. Antheræ ob-  
longæ, suberectæ.

**PIST.** Germen trilobum, subrotundum, superum. Stylus subulatus, erectus,  
longitudine staminum. Stigma simplex.

**PER. & SEM.** . . .

## DXV.

## EUCOMIS BIFOLIA.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos in tepidario floret Decembri. Bulbus subrotundus, depresso, compositus ex tunicis crassis & carnosis, foris fuscus, fere duas diametro uncias æquans. Folia radicalia bina, opposita, basi vaginantia & mutuo amplexantia, hinc concava, dein plana, depresso, lanceolato-ovata, acuta, integerrima, glabra, carnosula, obscure longitudinaliter lineata, ad lentem utrinque punctulata, facie profunde, dorso pallide virentia, septem uncias longa, lata tunc tres. Scapus centralis, erectus, tandem semipedalis, ex basi gracili in digitæ crassitiam clavatus, hinc spicatus. Bractæ ovatæ, in acumen angustatæ, sessiles, basi concavæ, patulæ, virides, unciales. Corolla cum virore pallet. Filamenta albent. Antheræ flavescunt. Germen viret. Pedunculi in qualibet spathæ ala solitarii, uniflori, breves, erecti, crassi, pallidi.

CAL. nullus.

COR. Petala sex, infera, oblonga, acutula, parum concava, patentissima, tria alterna reliquis paulo angustiora.

STAM. Filamenta sex, subulata, latiore basi cum invicem connata, erecta, versus stylum arcuata, longitudine corollæ. Antheræ incumbentes.

PIST. Germen superum, triquetrum. Stylus subulatus, erectus, staminibus brevior. Stigma simplex.

PER. & SEM. . . .

## DXVI.

## DXVI.

## IPOMOE A MAURITIANA.

Sponte crescit in insula Mauritii, caulis perennibus arbores scandens ad viginti pedum altitudinem. In caldariis nostris autem caules annui sunt, floret a Junio ad Augustum, sed fructum dat nullum. Radix constat ex congerie tuberum teretium, semipedalium, diametri uncialis & ultra, foris fuscescentium, intus alborum & carnosorum, abunde, uti tota planta, lactescentium. Caules plures, teretes, duodecimpedales, calamum vel digitum minimum crassi, volubiles, ramosi. Folia sunt alterna, longe petiolata, circumscriptione subrotunda, septemnervia & ad medietatem septemlobata; lobis ovatis, acutis, integerrimis. Pedunculi communes axillares, solitarii, fere longitudine foliorum, ramosi, multiflori. Perianthium pallens, rigidulum, fere subrotundum, pentaphyllum, parvum; foliolis subrotundis, obtusis, erectis, valde concavis. Corolla rosea, magna; tubo pallente, longitudine calycis; fauce longissima, campanulata, tubo multo ampliore; limbi quinquefidi & patentis lacinias subrotundis, obtusis, emarginatis, crispulis. Genitalia alba sunt. Pellen ochroleucum. Antheræ erectæ, hastatæ. Germen ovatum insidet glandulæ cupellari quinquesulcatæ. Stigma est capitatum, didymum & muricatum. Tota glabra est. Folia ramorum summa rarius dumtaxat triloba sunt. Proxime accedit ad Convolvulum Linnæi paniculatum.

## DXVII.

## DXVII.

## CROTON PUNGENS.

Crescit ad Caracas in America. In caldariis nostris floret Julio & Augusto. Arbuscula sexpedalis & altior; trunco erecto, terete, pollicem crassio, cortice cinereo & scabriusculo. Rami juniores sunt dense hirti & tomentosi. Folia sunt alterna, petiolata, haud grata aromaticæ, elongatæ cordata, acuminata, obsolete ferrata, facie virentia venosa & aspera, dorso incana & pilis stellatis hirta, longiora semipedalia cum petiolo triunciali; summa ad spicam terna; adulorum petiolis reflexis, & oris antrorum conniventibus; petiolis hirtis. Faciei applicata pungunt. Spica terminalis, semipedalis, erecta, hirta. Hujus partem infimam obsident flores foeminei sessiles sparsi. Reliquam partem masculi pedicellati, aggregatum sparsi, & successive prodeuentes. Calyx utrisque est pentaphyllius, hirtus, acutus, in maribus patentissimus, in foeminis erectus. Petala maribus quinque, oblonga, pallida, patentissima, longitudine calycis. Foeminis omnino nulla. Filamenta maribus numerosa, patentia, sola basi parumper connexa. Antheræ ovatæ, erectæ. Foeminis germen subrotundum, trifidatum, muricatum. Capsula hirta. Et reliqua generis. Tota arbuscula odoris aromatici est.

## DXVIII.

## OCHROSIA MACULATA.

*Ochrosia. Juss. gen. pag. 144.*

*Cerbera parviflora. Forst. flor. pag. 19.*

Crescit in insula Borboniae & insulis maris pacifici. Ex semine enata in caldariis nostris tertio ætatis anno æstate floruit, arbuscula quadripedalis, tota laetescens, ramosa; trunco erecto, cinereo, pollicem crassfo, & ad distantias nodose incrassato. Rami terni vel quaterni. Folia ter na vel quaterna, etiam inordinate alterna, breviter petiolata, lanceolata, utrinque acuta, integerrima, undulata, firmula, facie nitida, utrinque maculis violaceo - fuscis picta, plus minus quadriuncialia, plus minus octo linea lata. Ad sunt paucæ individuæ stirpes, quæ folia gerunt lanceolato - ovata; duas uncias lata, & obtusula. Pedunculi communes ad ultimas divisiones ramorum, longitudine ad minus foliorum, erectiusculi vel patuli, ramosi, sæpe paniculati; ramulis dichotomis, patulis. Flores dichotomiarum sessiles; reliqui sæpe pedicellati. Calyx viret. Corolla crassula albet cum fauce rubra. Antheræ flavent. Fructus flavet; cuius caro mollis & flava siccatur brevi, corrugatur, fuscescit, nucique adhæret firmissime; natura quidem bivalvi, & in terra, dum germinat, revera sic sponte in una parte secedenti, sed vi vix separabili. Loculamenta formantur plerumque in sola superiore nucis parte a duabus membranis nitidis contiguis, quarum quælibet ceu arillus unicuique semini incumbit. Vocatur ab incolis Bois jaune.

- CAL.** Perianthium parvum, inferum, quinquepartitum, persistens; foliolis subovatis, concavis, erectis.
- COR.** monopetala, subhypocrateriformis. Tubus cylindricus, basi intra calycem ampliatus, erectus. Limbus quinquefidus, subcontortus; laciinis oblongis, obtusis, patentissimis, fere longitudine tubi.
- STAM.** Filamenta quinque, capillaria, ex medio corollæ tubo orta, erecta, brevia. Antheræ hastatæ, erectæ, inclusæ tubo petali.
- PIST.** Germina duo, hinc convexa, inde plana, obtusa. Styli duo, per totam longitudinem connati, erecti, longitudine filamentorum. Stigma unicum, capitatum, oblongum, teres, apice ciliatum.
- PER.** Drupæ geminæ, divaricatae, ovatae, depresso-ovaliæ, apice incurvato mucronatae, sulco obsoletius notatae. Nux ejusdem figuræ, ossea, crassissima, in centro antico bilocularis.
- SEM.** Nuclei iubilatarii, inæqualiter oblongi, plani.

## S U P P L E M E N T U M.

1) **SCHOTIA SPECIOSA** quantumvis sæpius jam floruerit, nullum tamen huc usque fructum tulit. Hinc ex Promontorio bonæ Spei fructus integros curavi adferendos, ut character generis completus concinnari possit. In figura tertia tabulæ secundæ sistitur fructus integer, idem aperitus, tum semina quædam diversæ figuræ. Alia legumina straminei sunt coloris, fusci alia, tres uncias longa, fuscunciam lata, per membranam fuscescentem & semina magis minusve separantem subbilocularia. Semina plus minus quinque, badia cum hilo albo. Altera futura lata est, altera angusta.

sta. Suturæ persistunt; dum valvulæ utrinque a suturis secedunt. Fructus character sequens est.

**PER.** Legumen oblongum, introrsum mucronatum, compressum, per venas rugosum, nitidum, breviter pedicellatum, submultiloculare, bivalve.

**SEM.** plura, oblonga, rarius quædam subrotunda, a comprimentibus vicinis inæqualia.

2) **CRASSULA COTYLEDON** tandem maturos paucos fructus dedit fuscos ex capsulis quinque, oblongis, styli parte superstite acuminate, erectis, glabris, introrsum longitudinaliter dehiscentibus, seminaque numerosa & minutissima continentibus. Figura quarta tabulæ secundæ exhibet fructum in naturali magnitudine, eundem multoties auctum, auctamque similiter unam capsulam interne conspectam.

3) **LACHENALIA PUSTULATA** anno illo, quo iconem jam editam parari curaveram, in plurimis individuis spicam haud multo amplius explicuerat, quam explicata ibidem conspicitur. Hoc autem anno quædam individuae elegantiorem illam præbuerunt, dum tamen semper spapus fere totus in terram prosternebatur, extremitate florigera tantummodo erecta. Talem spicam, nisi racemum malis, sistit figura quinta tabulæ secundæ.

4) **ALSTRÆMERIÆ PELEGRIÑÆ** fructificatio deficit in ico-  
ne Horti botanici Vindobonensis, quam hic addo in figura sexta tabulæ secundæ. Capsula est subrotunda, glabra, sex striis longitudinalibus ele-  
vatis

vatis notata, trilocularis, trivalvis, striis illis in pedunculo persistentibus, dum valvulae dehiscendo decidunt. Semina plura, subrotunda.

5) CISTI CRÉTICI fructus hirsutus, in Iconibus stirpium rariorum desideratus, repræsentatur in tabulae secundæ figura septima.

6) ROSÆ BICOLORIS in Horto botanico Vindobonensis descriptæ pictæque, fructus variantes duo, semper magis minusve depresso, hic spectantur in figura octava tabulae secundæ.

7) HIBISCUS VIRGINICUS tandem utrum alterumve fructum maturum dedit. Figura nona tabulae secundæ talem sistit una cum semine.

8) ALBUCÆ ABYSSINICÆ capsula cum seminibus depingitur in tabulae secundæ figura decima.

9) LAURI CAMPHORÆ, quotannis in Horto Cælareo Schönbrunnensi copiose florentis, ramulum floriferum in tabulae tertiae figura secunda pingendum curavi, una cum flore multoties aucto, ut character floris, quem nedum rite descriptum credo, observari possit. Flores locantur in racemis compositis, quam folia fere duplo brevioribus, sequente struttura donati.

CAL. nullus.

COR. Petala sex, lanceolata, obtusa, plana, patentissima, alba, interne hirsuta.

Glandulæ nectarii cordatæ, pedicellatæ, luteæ, novem; quorum sex locantur inter stamina exteriora; tres sitæ sunt inter stamina tria interiora & germen, cum iisdem alternantes.

**STAM.** Filamenta novem, filiformia, hirsuta, ex viridi pallentia, petalis breviora, apice incrassata in capitulum foveis interne duabus excavatum; quorum sex exteriora unius ordinis patentia sunt, positaque ante petala; tria interiora eriguntur. Anthera didyma, subrotunda, lutea parvaque, ex fundo cujuslibet foveolæ filamenti egreditur una, sustentata elevataque proprio filamento capillari; ut in quolibet filamento duæ sint antheræ distinctissimæ.

**PIST.** Germen ovatum, glabrum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma capitatum, planum, album.

10) **STERCULIA FÆTIDA** ex semine enata, citissime incrementit in caldariis nostris, septimo ætatis anno jam viginti pedes alta, trunco insistens brachium crasso, plerumque omni ramo destituta, foliaque tantum superne gerens, truncata autem paucos ramos emittens, huc usque flores non largita; quos forte citius sperare licebit ex arbore truncata quidem, sed cruris crassitie, ex insula Mauritii adlata, & jam ramis crassis praedita. Figura tertia tabulæ tertiae sicut semen in magnitudine naturali & cotyledones cum primis foliis.

11) **AMARYLLIDIS UNDULATÆ** in Horto botanico Vindobonensi delineatae sine fructu, capsulam & diversa semina exhibet figura quarta. Tantæ saepe molis semina sunt, ut ex capsula nedum sicca & tamen dehiscente exsiliant, quando tunc illa, uti in figura, in minus volumen contrahitur.

12) THEOBROMATIS fructus ex India orientali accepi; qui structura simillimi fructibus Guazumæ, figura ab iisdem diversissimi, novam incognitamque speciem indicant. Quantumvis videbantur recentes, nulli vegetarunt. Ut ne igitur notitia hujuscæ stirpis plane pereat, sisto in tabulæ tertiae figura quinta fructum in vertice visum, dein ex latere, tandem transverse dissectum. Est in Guazuma fructus semper oblongus, longior certe quam latus; in hac specie incognita fructus est subrotundus, valde depresso; ut primo intuitu distinguantur. Utut fateri debeam, summam esse structuræ similitudinem inter Cacao & Guazumæ flores, quos sæpius in America examinavi, facit tamen pericarpii diversitas, ut contra Linnæum, in distincta genera separari debere, opiner.

13) Tabulæ nonæ figura secunda repræsentat fructum BROWNEÆ, legumen scilicet integrum, & duo semina. Fructus plures ex Caracas huc adlati fuerunt, creditq; autopta, at certo afferere non audet, esse illos Browneæ grandicipitis, in Collectaneorum meorum volumine tertio descriptæ. Cæterum addit, nullam esse spem, Browneas ex seminibus transmissis in Europa propagandi, quuum horum duo lobi, tunica tenuissima vestiti, brevi corneam induant duritiem, nec ultra tunc germinare queant. Talia inveni etiam transmissa, & præterea plerumque ab insectis foraminulata, quantumvis ipsa legumina viderentur intacta. Est porro hoc legumen oblongum, acuminatum, compresso-planum, fusco-badium, nitidum, striis sive venis transversis numerosis ornatum, bivalve, uniloculare, sic tamen ut inter quælibet semina cortex interior elevetur in dissepimentorum rudimenta. Semina plus minus quatuor, inæqualiter subrotunda vel etiam subquadrata, compresso-plana, badia, punctata, magna.

14) MORUS MAURITIANA, quam descripti in Collectaneorum volumine tertio, & cuius figuram in Iconibus stirpium riariorum exhibui, hoc anno plurimos tulit fructus maturos & fæcundos, nam semina terræ mandata mox germinarunt. Solito congenerum more calyx succulentus evadit, baccæ formam induit, semenque ovatum angulosum nitidum albidumque includit. Totus fructus, sive amentum fructigerum est sessilis vel & duas uncias longum, crassitie digiti, inæquale, pendulum, viride, saporis acido-dulcis, calyces in quadruplici serie longitudinali locans, in patria edule. Talis fructus una cum semine sistitur in tabulæ vigesimæ secundæ figura prima.

15) GORTERIÆ PERSONATÆ quum nedum putem bonam existere figuram, hanc ex culta apud nos planta desumptam exhibui in tabulæ primæ & vigesimæ figura prima.

---

## I N D E X

## PLANTARUM HIC DESCRIPTARUM.

## A.

	Pag.
<i>Adenanthera pavonina</i>	- 212
<i>Agave lurida</i>	- 94
<i>Albuca aurea</i>	- 202
— — <i>caudata</i>	- 203
— — <i>flaccida</i>	- 201
<i>Alpinia conosua</i>	- 112
<i>Amaryllis longifolia</i>	- 205
<i>Antirrhinum parviflorum</i>	- 204

## C.

<i>Carex hermaphrodita</i>	- 174
<i>Cassia polypylla</i>	- 104
<i>Cissampelos similicina</i>	- 128
<i>Convolvulus spithameus</i>	- 209
— — — <i>pentanthos</i>	- 210
<i>Crassula umbella</i>	- 172
<i>Croton pungens</i>	- 217
<i>Cyanella orchidiformis</i>	- 211
<i>Cynanchum monspeliacum</i>	- 106

## D.

<i>Dracuncium lanceæfolium</i>	- 118
--------------------------------	-------

## E.

<i>Erodium trilobatum</i>	- 200
<i>Eucomis bifolia</i>	- 215
— — <i>nana</i>	- 213

## G.

<i>Galaxia ovata</i>	- 137
<i>Galega dubia</i>	- 131
<i>Gladiolus alatus</i>	- 165
— — — <i>anceps</i>	- 163
— — — <i>angustus</i>	- 154
— — — <i>brevifolius</i>	- 156
— — — <i>fissifolius</i>	- 164
— — — <i>floribundus</i>	- 162
— — — <i>galeatus</i>	- 167

	Pag.
<i>Gladiolus gracilis</i>	- 159
— — — <i>hirsutus</i>	- 161
— — — <i>iridifolius</i>	- 151
— — — <i>laccatus</i>	- 171
— — — <i>merianus</i>	- 150
— — — <i>mucronatus</i>	- 162
— — — <i>plicatus</i>	- 155
— — — — <i>angustifolius</i>	- 156
— — — <i>punctatus</i>	- 160
— — — <i>silenoïdes</i>	- 168
— — — <i>strictus</i>	- 170
— — — <i>tenelli varietas</i>	- 169
— — — <i>tristis</i>	- 157
— — — — <i>varietas</i>	- 158
— — — <i>tubulosus</i>	- 153

## H.

<i>Hypoxis alba</i>	- 135
— — — <i>ferrata</i>	- 134
— — — <i>stellata</i>	- 133

## I.

<i>Ilex ligustrina</i>	- 105
<i>Ipomoea mauritiana</i>	- 216
<i>Iris flaviflora</i>	- 98
— — <i>tricuspis</i>	- 99
<i>Justicia caracasana</i>	- 116
<i>Ixia chloroleuca</i>	- 180
— — <i>corymbosa</i>	- 179
— — <i>erecta</i>	- 182
— — <i>falcata</i>	- 183
— — <i>linearis</i>	- —
— — <i>secunda</i>	- 180
— — <i>uniflora</i>	- 181

## K.

<i>Kylinga incompleta</i>	- 101
---------------------------	-------

## L.

## F f



## L.

	Pag.		Pag.	
<i>Lachenalia luteola</i>	-	148	- <i>carneum</i> -	189
— — — <i>patula</i>	-	149	- <i>ciliatum</i> -	195
— — — <i>violacea</i>	-	147	- <i>depressum</i> -	193
<i>Laurus camphora</i>	-	221	- <i>fuscatum</i> -	186
<i>Limodorum diurnum</i>	-	107	- <i>heterophyllum</i> -	197
— — — <i>tuberosum</i>	-	108	- <i>longiflorum</i> -	194
<i>Lithospermum tenuiflorum</i>	-	158	- <i>longifolium</i> -	192
<i>Lobelia erinus</i>	-	103	- <i>melananthon</i> -	188

## M.

<i>Malpighia glandulifera</i>	-	207	- <i>rapaceum</i> -	190
<i>Malva elegans</i>	-	206	- <i>triphyllum</i> -	199
<i>Mangifera indica</i>	-	96	<i>Piper cuneifolium</i> -	127
<i>Manulea tomentosa</i>	-	114	— <i>marginatum</i> -	121
<i>Maranta lutea</i>	-	117	— <i>pereskiaefolium</i> -	126
<i>Massonia pustulata</i>	-	177	<i>Polypodium phymatodes</i> -	132
<i>Melanthium uniflorum</i>	-	100	<i>Pothos craffinervia</i> -	122
<i>Mimosa caracasana</i>	-	142	— <i>digitata</i> -	119
— — <i>portoricensis</i>	-	143	— <i>grandifolia</i> -	121
<i>Moræa ferrariola</i>	-	141	<i>Pforalea bipedunculata</i> -	146
— — <i>vegeta</i>	-	140	— <i>emphysoches</i> -	144
<i>Myginda rhacoma</i>	-	173		

## O.

<i>Ochrosia maculata</i>	-	218	<i>Smyrnium perfoliatum</i> -	93
<i>Ocimum gratissimum</i>	-	208	<i>Solanum aggregatum</i> -	124

## P.

<i>Panax aculeatum</i>	-	175	<i>Smyrnium perfoliatum</i> -	93
<i>Passiflora punctata</i>	-	130	<i>Solanum aggregatum</i> -	124
<i>Paullinia caulinflora</i>	-	176	— <i>fugax</i> -	123
<i>Pelargonium althæoides</i>	-	185	— <i>giganteum</i> -	125
— — — <i>anceps</i>	-	184	— <i>milleri</i> -	209
— — — <i>barbatum</i>	-	195		

## T.

<i>Tabernæmontana persicariæfolia</i>	-	139
<i>Theophrasta longifolia</i>	-	136
<i>Tradescantia erecta</i>	-	114
<i>Tribulus maximus</i>	-	110

## V.

## IV

REV. FRANCISCI XAVERII WULFEN  
**PLANTÆ RARIORES CARINTHIACÆ.**

Continuatæ ad pag. 164. vol. III. Collect.

---

CCCII.

**ALYSSUM ALPESTRE.** Tab. 4. fig. 1.

*Alyssum* caulis suffruticosis diffusis procumbentibus; foliis subpulposis, inferioribus subrotundis, superioribus oblongo-obovatis; calycibus coloratis deciduis.

*Allyssum* caulis suffruticosis diffusis; foliis subrotundis incanis, calycibus coloratis. *Linn. syst. nat. tom. 2. pag. 436. num. 6.* *Gerard. flor. gallopr. pag. 352. num. 7. tab. 13. fig. 2.* *Allion. flor. pedem. tom. 1. pag. 241. num. 888. tab. 18. fig. 2.*

**R**aram stirpem viginti aliquot abhinc annis initio Julii in Ovirensibus supra Ebriacum alpibus maxima in copia florentem inveni solo aprico rupestri calcareo-sabulofo. Radicem ea habet perennem longam fusiformem varia in

F f 2

bra-

brachia sese diffundentem, digiti vixdum auricularis crassitudine, copiosis undique fibrillis obsitam, sordide extus ex albido flavicantem, tum fulcescentem. Magna ex ea caulum, plerunque simplicissimorum, aut certe non nisi basin versus subramosorum effunditur, copia, spithamam vixdum longitudine adæquantum, per terram undique neglectim decumbentium, nec nisi apicem versus ex decubitu assurgentium. Sunt ii, utpote in planta perenni, basin versus nudi, sublignescentes, fulci, cicatricibus veterum foliorum undique adspersi; qua contra parte annui sunt, lenti, flexiles, teretes, virides quidem, ex pube nihilominus albida, & stellato-echinata, iisdem appressa, incani, foliis undique sparsis copiose obsiti, terminati apice ditissima primum florum umbella, in corymbum serius abeuntium, dum in fructuum denique maturentur racemum. Folia crassiuscula (subpulposa dicas) inferiora subrotunda, aut orbiculata etiam; superiora oblongo-obovata; summis fere obverse lanceolatis, & obtusis; singula nihilominus integerrima, in petiolum velut decurrentia, subtus longitudinaliter carinata, supra vero sulco humili canaliculata, erecto-patentia, de se viridia, interim tamen (in ætate præprimis juvenili) ex scabie velut albida, utrinque incano-tuberculata, & pubescentia; quam tuberculorum pubem si quidem microscopio inspicias, stellato-echinatam, decemradiatam, centro pertusam, iisdem appressam, demumque cadivam, ut ipsis in caulis, deprehendas. Flores (primum umbellæ, tum corymbi, denique racemi) singuli pedicellati, pedicello trium quatuorve linearum, erecto, tereti, ex pari ratione pubescente, & viridi incano. Calyx duplo corollis brevior, tetraphyllus, foliolis oblongo-ovatis, integris, concavis, flaventibus, extus, absque stellulis, pubentibus, denum cadivis. Corolla saturate flava, tetrapetala, cruciformis, duplo calycibus major, petalis integris, obovatis, in unguem decurrentibus, longitudinaliter velut striatis, decidunt.

duis. Stamina sex tetradynta, ex viridi tandem flava, majoribus quatuor calycem parumper excedentibus, & latere exteriore, a basi ad medianam usque altitudinem membranula flava in denticulum terminata alatis; minoribus duobus oppositis, calycem æquantibus, inferne gibbis, introrsum squamula linearis-lanceolata, flava, libera, basi affixa, appendiculatis. Antheræ flavæ cordatae. Germen compresso-ovatum, viride, ex pube stellato-echinata incanum. Stylus staminum longitudine, persistens, teres, flavicans. Stigma truncatum. Silicula ovalis, disco tumidiusculo, nuda, bilocularis, bivalvis; valvulis dissepimento parallelo sejunctis. Semina plura.

## CCCIII.

## VERONICA FRUTICULOSA. Tab. 5.

Veronica caulis fruticosis, basi procumbentibus; racemo terminali multifloro; foliis oppositis elliptico-lanceolatis subdenticulatis; calycibus acutis.

Veronica corynobo terminali, foliis lanceolatis obtusiusculis crenatis; caulis fruticulosus. *Linn. syst. n. t. 2. pag. 57. num. 12.*

Veronica caulis fruticosis declinatis, foliis glabris ellipticis dentatis, floribus in vertice confertis petiolatis. *Haller. hist. stirp. helv. tom. 1. pag. 235. num. 545. var. a. tab. 16.*

Veronica tertia fruticans. *Clus. hist. plant. pag. 347.* Sed flores dicit cæruleos!

Veronica frutescens. *Scopoli. fl. carn. 2. tom. 1. pag. 19. num. 20.*

Cum Veronica saxatili Johannis Bauhini, seu Veronica minore alpina serpilli folio Ponæ (apud Clus. p. CCCXXXVII.) hanc conjungit Hallerus tamquam varietatem, a. Idem olim & Linnæus, aliquie, nec me excepto. Separaverat tamen Clusius sub nomine tertiae fruticantis, quamvis, qua? nescio fatalitate, cæruleos, pro rubris, eidem tribuerat flores, ad quos magnus obstupuit Hallerus; nuperrimi (dempto Scopolio) in transversum etiam acti sunt ita, ut distinctionis, saxatilem Bauhini inter, & fruticantem Clusii, agnoverint nihil; inducti, quod credibile est, Bauhini autoritate, qui ad saxatilem suam, utriusque ex Clusio meminit, & alpinæ serpilli folio Ponæ, & fruticantis tertiae; etsi Clusius ipse, qui Balduensem Ponæ rencensuerat, sibi non ignotam, de fruticante sua diserte dicat, se nullum ejus haçtenus nomen intelligere potuisse. Fatendum interim est, quamquam facie non parum differant, specificis nihilominus plurimum convenire notis utramque. Reperi fruticulosam hanc Veronicam sat copiose Rhæticis in alpibus, haud procul a balneis Praxensibus, sub immannibus præruptis rupibus umbrosis, via qua versus alpes Landkogel itur; florebatque initio Julii. Radix perennis, scriptorii circiter crassitudine calami, extus fusca, teres, lenta, in lignum duranda, oblique horizontalis, radiculis fibrosis undique sparsis vase obsita, vel sub terra jam ramosissime, vereque cespitoœ caulinera. Caulibus (ex eadem radice etiam plusquam triginta floriferis) spithamam longis, basi procumbentibus, annisque singulis per dimissas, iterato radicatis, fibrillas, & ligneſcentibus. Novelli quotannis caules, ex veterum nudorum gemmis, simplicissimi, spithamales; ex decubitu ascendentes, rectique, lenti, flexiles, teretes; copiosis, nec admodum sejunctis articulati geniculis; foliis ad genicula singula obsiti oppositis; cæterum ex rubore virides, villulisque adspersi exiguis, dêmum cadivis; apice racemo florum simplice & multifloro terminati. Folia per

cau-

caules frequentia, ad genicula articulorum opposita, & basi conhata, sub-  
sessilia, basi velut in petiolum brevissimum decurrentia; inferiora minora &  
ovata; superiora longiora, & elliptico-lanceolata, articulis suis subæqua-  
lia, erecto-patentia; omnia glabra, firma, plana, subtus carina dorsali  
exstante percursa, dilute viridia, oris marginum rariter obiterque subdenti-  
culatis, subintegerrima. Flores hac in specie non corymbosi, sed racemo-  
si; nec (ut in Veronica saxatili plerumque) oppositi, verum alterni; plu-  
res respective suis in racemis, quam illi Veronicæ saxatilis, suis in corym-  
bis; singuli ex axilla bracteæ foliaceæ elliptico-lanceolatae integrimæ pe-  
dunculo villoso, bracteam haud multum excedente, erecto. Calyx qua-  
drupartitus, corollis tantisper minor, foliolis ovato-lanceolatis, villosulis.  
Corolla monopetala, rotata, majuscula; tubulo brevissimo, annulari-cy-  
lindraceo, albo; limbo patente, quadripartito; laciniis subrotundo-ova-  
tis, integris, subæqualibus, intimo nonnihil minore, dilute rubris; lineis  
striisve saturationibus exaratis. Stamina duo, tubo corollæ infixa, corol-  
lis minora; filamentis inverse subulatis, albido-subincarnatis; antheris ob-  
longo-ovatis, dilute rubellis; polline albo. Germen in calyce permanen-  
te sessile, ovatum, brevi pube instratum. Stylus antherarum altitudine,  
filiformis, declinatus, albus, apicem versus incarnato-rubellus; termina-  
tus stigmate capitato-depresso, umbilicato, albo. Capula ovato-oblon-  
ga, integerrima, apicem versus compressa, bilocularis, quadrivalvis, po-  
lysperma. Odor nullus. Comparatis itaque inter se saxatili, & fruticulosa;  
hæc duplo, quam illa, major; multoque cespitosa magis. Caules insuper  
ejus pluribus, & respective brevioribus geniculati articulis, ac consequen-  
ter magis, quam in saxatili, foliosi. Folia fruticulosæ elliptico-lanceo-  
lata, dilutius viridia, articulis nihilo breviora; cum in saxatili obscurio-  
ra sint, magis obtusa, sub-aut etiam obovata, articulis suis breviora. Flo-  
res

res in saxatili plerumque pauci, racemoso-corymbosi, ex axillis oppositis enatis, pedicellis bracteas suas longe excedentibus, & saturatissime cærulei. In fruticulosa contra semper racemosi; pedunculis nunquam oppositis, sed una cum bracteis (quibus haud multo longiores) alternis; numero, quam in saxatili, pluribus; inferioribus nunquam ad superiorum altitudinem assurgentibus; colore dilute rubellis.

## CCCIV.

## LICHEN MUSCORUM. Tab. 7. fig. 1.

*Lichen leprosus*, crista farinaceo-pulverulenta; impalpabili, albida, mucris instrata; tuberculis hemisphæricis atris.

*Lichen crustaceus*, musco plerumque innascens, polline cinereo veluti conflatus, receptaculis florū nigris. *Michel. nov. plant. gen. pag. 98. num. 41. Weber. spicil. flor. götting. pag. 183. num. 231.*

Recte Weberus Lichenes Quisquiliarum Halleri, & Muscorum Scopoli ab hocce nostro diversos pronunciat. Meum mense Majo copiose beym kalten Bründl in der Sattniz, Jungermanniis, Hypnis, aliisque muscis, rupe operientibus, continuaque irroratis aspergine, instratum reperi. Videas subtilissimo muscos hos pulvere, velut farina in superficialem crustam confluente, instratos; ad eum, si ita loqui liceat, modum, quo alias ex depositione calcarearum, quas defluæ advehunt aquæ, particularum, stalactiticis iidem obvestiri solent incrustationibus; sed pulvis hic noster calcareus omnino est, nec in verrucas nodulosve aggregatus; vegetabilis imo, impalpabilisque, quem, nisi in tuberculæ effloresceret sphæroidica, atra, parcius hinc inde sparsa,

aut

aut confertim magis accumulata alibi, pulverulentæ cuidam Byssi speciei, ego quidem haud dubitarem adnumerare. Est is, dum cryptogamicum hocce vegetabile desiccatum penitus est, fordidiuscule albidus; ex aquoso contra virore albescens, quando, uti in figura exhibetur, tantillo musci reviviscunt humore.

## CCCV.

## LICHEN HYPNORUM. Tab. 7. fig. 2.

Lichen leprosus, crusta farinacea pulverulenta, impalpabili, nivea, muscis instrata; scutellis atro-purpurascens, margine albo cinctis.

Elegantissimam algam in Sarlensibus Rhætiæ alpibus inveni; Hypnis, aliisque rupes operientibus late instratam muscis. Frustra eam ego, & cum Lichene subfuscō Linnæi quavis fere in arbore obvio, & cum eo, quem upsaliensem cum Linnæo Diksonus appellat, comparavi. Licheni meo nec crassiuscula ex cinereo-albicans est crusta, nec in verruculas, nodulosve assurgens, ut subfusci esse possit varietas. Setas equidem in eo rectas, emarcidas, fragiles, inæquales, albas, simplices, compositasve, decumbentes partim, partim & suberectas, plerumque & absque lege confusas, deprehendi; attamen quæ eidem haudquaquam (prout upsalienſi suæ) propriæ ſint, indistinctas imo ſemper a furculis, foliisque Hypnorum, aliorumve muſcorum microſcopio vidi, ut mentem, licet forſan nolle, ab upſaliensi penitus abſtrahere debuerim. Sed jam notas leproſi Hypnorum Lichenis habe: crusta is conſtat farinaceo-pulverulenta, impalpabili-ter cohærente, ſubtiliſſima, nivea, muſcos, eorumque furculos, ramos,

foliolaque promiscue insternente. Sparsæ per eamdem undique maxima in copia scutellæ sunt hemisphærico - concavæ, sessiles, atro - purpurascentes, sive fusco - rubentes, margine cinctæ niveo integerrimo; quæ primum exiguae, & urceolis persimiles, in orbiculos ferius se distendunt circulares, planiusculos, ipsis, quibus insident, muscorum caulis ramicisque majores, amplioresque, ut parte sui non exigua, ad utrumque eorumdem latus libere, & absque basi promineant; subtus tum, una cum annulari superiore margine niveæ, disco reliquo ex rubro - subnigricante.

## CCCVI.

## LICHEN AGARICIFORMIS. Tab. 7. fig. 3.

*Lichen subscyphifer simplicissimus*, stipite cylindraceo, fistuloso; capitulo pulvinato, fungiformi, fuscō terminato.

*Coralloides fungiforme fuscum*, basi foliacea. *Dillen. hist. musc. tab. 14. fig. 2.*

Qui Lichenis meminerit istius, præter Dillenium, neminem sciam. Sed ille præstantissimus nequaquam cum Lichenibus Michelianis crustaceis pag. 100. num. 2. & pag. 84. num. 5. tab. 42. fig. 2. item tab. 42. fig. 1. confundere debuisset eundem. Hæc sane, nec alia, Hallero fuisse ratio videtur, perperam ex Dillenio citandi Lichenem hunc nostrum, basi foliacea, ad suum crustaceum verrucosum tenacemfungis fuscis num. 2043. cum tamen reipsa ex eodem non nisi citandum fuisset coralloides fungiforme saxatile pallide fuscum tab. 14. fig 4. Certissima is tenebat scientia, Lichenem suum a Micheliano terrestri crustaceo granuloso ex albo subcinerascente receptaculis florum rotundis fuscis, pedicellis

in-

insidentibus, haud quaquam differre: cum itaque hunc ipsum Michelii, a Dillenio non aliorum, quam ad coralloides fungiforme fulcum basi foliacea, revocatum cerneret, invitus? (sic credo) synonymo usus Dillenii, nonnisi forte fortuna existimavit factum, quod aliena illa Dillenii foliola, granulosa illa Lichenis sui obducta fuerint crusta. Agariciformis interim Lichen hic noster, nec cum illo Ericorum Linnæi, nec cum nunc dicto Halleri (quem fungiformem Scopolius, ego peltiferum alias dixi) commune habet quidquam; neque enim e leprosorum crustaceorum, sed scyphiferorum Linnæi est numero; crustæ scruposæ sive & tartareæ loco, foliola habens plurima subcoriacea, plana, stipatissime accumulata, subimbricatave, subtus nivea, supra (in humore) dilute viridia, per exsiccationem e viridi cinerascentia, paucissimis brevissimisque hinc terræ nixa fibrillis, illinc libera undique; ac primum quidem parva, subrotunda, per oras repando - sinuata, demum elongata tantisper in frondes lobatas, sinuato - pinnatifidas, laciniis loborum rotundatis. Illis in supera eorumdem superficie sparsi inscuntur stipituli, lineas aliquot alti, normales, cylindracei, fistulosi, aquose e viridi cinerascentes, nullum apice in scyphum, calycemve abeuntes, ejus tamen loco, terminati capitulo fungoso pulvinato agariciformi, dilutius aut saturatus fusco, primum quidem impervio, attamen cum tempore, post largiores præprimis pluvias, ex introlabente centrali umbilico, pertuso. Stipites fungiferi prima in ætate nudi, serius furfuracea asperguntur scobe, in foliola denique exigua, supra viridia, subtus alba, abeunte. Provenit abunde in sterilissimis Montis Calvariae ericetis ad latera graduum versus sepulchrum &c.

## LICHEN PASCHALIS.

*Lichen fruticulosus solidus erectus ramosissimus glauco - cinerascens, verrucis scruposis undique incrassatus; tuberculis e fusco nigricantibus efflorescens.*

*Lichen fruticulosus solidus, tectus foliolis crustaceis.* Linn. spec. pl. pag. 1621. num. 69. Oeder. flor. dan. icon. 151. Weis. crypt. pag. 98. Pollich. III. pag. 261. num. 1130. Leers. flor. herborn. pag. 264. num. 991. Hagen. lich. pag. 130. num. 71. Allion. flor. ped. II. pag. 326. num. 2588. Gerard. gallopr. pag. 34. num. 24. Gunner. flor. norv. I. pag. 88. num. 268.

*Coralloides crispum, & botryiforme alpinum.* Dillen. hist. musc. tab. 17. fig. 33.

*Lichen alpinus glaucus ramosus botryoides.* Scheuchz. it. alp. II. pag. 137. tab. 19. fig. 4. Idem iter. alp. VI. pag. 459. Ramulorum extremitatis nigris, & tumentibus.

*Lichen caule fruticoso fungifero, verrucis calcareis tecto.* Haller. hist. stirp. helvet. tom. III. pag. 79. num. 1963.

*Lichen cinereus fruticosus &c. saxatilis cinereus &c. & alpinus glaucus &c.* Michel. nov. pl. gen. pag. 78. num. 20. 21. 22. tab. 53. fig. 5. 6. 7.

Quem una alterave in sterilibus Montis Calvariæ ericetis, sylvisque inveni vice, is magna in copia, summa alpium incolit juga, gratus visui Lichen. Caulibus ille uni - aut & bipollicaribus; iterum, iterumque vage ramosis; & erectis; in densissimum semper cespitem ita accumulatis

cre-

crescere amat, ut (nisi aquæ prius immerseris) singulos, absque ramorum, in se invicem implicatorum, dilaceratione vix aut ne vix quidem, extricare possis. Sunt ii pennæ columbinæ circiter crassitudine, teretes, substantiæ coriaceo-sublignescentis, lenti, flexilesque in humore, cætera, rigidi, fragilesque, coloris una cum ramis ex albo incarnati, aut & aquosissime subrubelli; ita tamen a basi ad apicem verrucis scruposis globulosis albido-glaucescentibus incrustati undique, ut dempta duntaxat ætate ultima (qua delapsis maximam partem iisdem verruculis nudi decalvati perstant) e glauco-cinerascentes diceres. Nodulos hosce crustaceos, botryiformem Licheni huic faciem conciliantes, foliola ejusdem vocare placuit Linnæo; foliola interim is vera habet nulla. Florum? aut fructificationis? loco, extimas suo tempore caulis ramorumque verruculas, in tubercula viideas unum, plurave aggregata efflorescere, coloris primum fusci, tum e fusco-nigricantis, suntque exilissima, sessilia, globulosa, & apice microscopice umbilicata.

## CCCVIII.

## LICHEN BOTRYTES. Tab. 4. fig. 3.

Lichen fruticulosus, ex dichotomia subramosus, ramis simplicibus, brevibus, capitulo globo integerrimo terminatis.

Lichen subramosus, ramulis fungulo luteo-fuscescente terminantibus. *Hagen. hist. lichen. pag. 121. num. 64.*

Nusquam alibi adhuc, quam ad basin, seu radicem abietum (ibi tamen frequenter) peculiarem hunc inveni Lichenem, *in der Sattniz am*

*Calvarienberg*; tum in Praxenibus sylvis; unicam si demas vicem, ubi putrescenti resectæ arboris trunco, a copiosis pluviis intumescens, exalbidus redditus, increverat. Eum egregius Hagen in Historia Lichenum Prussicorum scyphiferis adnumerat, quamvis scyphifer, ut ipse ingenue satetur, numquam sit. Est tamen & aliud, quod mihi quidem, salvo aliorum iudicio, minus probatur: cum Lichenoide (Coralloide) parum ramoso tuberculis fuscis Dillenii *hist. myc. tab.* 15. *fig. 20.* vegetabili cryptogamo mihi perquam bene cognito, eumdem conjungit; qua in re eidem assentiri minime possum. Coralloides illud Dillenii ut vel figuram inspicienti patet, et si & ipsum parum ramosum est, ramulos tamen habet, suos versus apices magis magisque in veros, aut quasi tales, scyphos, pyxidesve, latescentes, margine earum pyxidum fuscis coronato tuberculis. Quis tale quid unquam in Lichene botryte vidit? Dicam quod sentio: Dillenio Lichenem nostrum ignotum credo. Hallero si notus fuit, numero 1942. (non vero, ut Hagenius inquit, num. 1941.) ab eodem recensitum existimo. Apud Michelium si mihi indagandus foret, non alibi eumdem, quam pag. 79. & 80. in ordine scilicet sexto num. 14. inquirerem; crederemque, esse Lichenem Coralloidem tubulosum minorem, & gracillimum, subviridem, ramulis erectis nonnihil foliosis, receptaculis florum rufescens. Sed de his judicent alii. Paucorum plerumque cæpitulos caulinorum formare solet Lichen botrytes, basi foliolis instratus exiguis, subrotundis, sinuato-sublobatis, de more decumbentibus, subimbricatisve, supra viridibus, subtus albis. Et horum quoque foliolorum nonnunquam abesse stratum solet, aut suis certe evanuit de causis. Crustam vero scruposo-tartaream, e qua ille efflorescat, nunquam observavi. Cauliculi ejus, qui spintris crassitudinem vixdum superant, semipollicares plerumque, aut octo, decemve alti sunt lineas, erecti, graciles, æquabiliter a basi ad apicem teretes, fistulosi, aphyl-

aphylli (foliolis obsitos nondum vidi) dilute e flavo - virides, apicem versus, velut e dichotomia, bifidi, trifidive, axillis ramulorum angulum admodum acutum intercipientibus, nunquam foramine pertusis, minus adhuc in scyphos, pyxidesve hiantes incrassatis. Ramuli illi apicis simplicissimi, saepe, non semper, ad eamdem, in corymbulum velut, ascendunt altitudinem, caulinco simillimi, sed fere graciliores, æquabiliter tamen undique teretes, & fistulosi, apice singuli capitulo suo, respective magno, globoso, impervio, flavo, aut e luteo cum tempore rufescente, nec unquam nigro, terminati. Vide sub *a* ad naturam expressum. Adjeci sub *b*, qualem post largas pluvias defiguratum semel inveni, adeo aqua, quam imbiberat, factum, ut tumidiuſculus exalbesceret totus, semidiaphanusque redderetur.

## CCCIX.

## LICHEN AMBIGUUS. Tab. 4. fig. 2.

Lichen foliaceus centrifugus flavo - virescens; foliolis linearibus, pinnatifido - lobatis; tuberculis concoloribus farinaceis, scutellisque marginatis ex luteo tandem fuscis, obsitis.

Nemo existimet, me, dum Lichenem hunc ambiguum recenseo, eum hic iterum, quem ochroleucum alias (in vol. II. Coll. Jacq.) dixi, aut ejus certe varietatem, proponere. Habent &, ut nil dissimilem, similitudinis inter se plurimum, fugaci si utrumque intueare oculo. Sed botanicus non sim, neglectis si vegetabilium characteristicis notis, ex fugacis duntaxat judicio oculi definiam aliquid. Convenient ergo in eo, quod centri-

fu-

fugos inter pertineant, quos Linnæus imbricatos dicere consuevit; denique, quod uterque coloris prope sit ejusdem, nempe ex flavo-virescentis; foliola ex centro diffugientia habeant angusta, linearifrondosa, lobato-multifida, arcte corporibus, quibus increscunt, hærentia absque radiculis. Referam jam, quibus specifice differunt, notas: ochroleucus nil nisi copiosissima centrum versus habet conferte accumulata tubercula, convexe-lentiformia, glabra, impalpabilia, coloris dilutius aut saturatius argillaceo-flaventis, marginis discoloris primum expertia; quæ senio, aut per exsiccationem, exalbescente nonnihil margine convexitatis infimæ, & applanata tantisper convexa disci medii area, scutellas marginatas verius referunt, quam reapse sint. Sane, quod fructificationes Lichenis ochroleuci scutellæ veræ non sint, sed tubercula sive scutella, inde affatim patet, quod ubi marginatas referre videntur scutellas, margo ille plerumque angulatus, non orbiculari-circularis esse solet, manifesto contractionis per exsiccationem factæ indicio. Contra Licheni ambiguo, & veræ semper sunt scutellæ, & tubercula præterea, nunquam in scutellas abeuntia. Hæc quidem, non aliis, quam Lichen ipse, coloris ex flavo-virescentis; plerumque in majusculos assurgentia tumulos, hemisp̄hæroidico-convexos, nec glabros & impalpabiles; imo vero farinaceo-pulverulentos, ut ea Lichenis faginei esse solent. Illæ vero jam prima ab ætate, hemisphærico-concavæ, initio argillaceo-flaventes, tum ex flavo-rufæ, & ex rufo denique fusco-nigricantes; margine semper cinctæ exstante, circulari, albido-subflavente. His adde: foliola Lichenis ambiguæ magis pinnatifido-lobata, magisque discissa, & laxius inter se ordinata, quæ in ochroleuco unita magis sunt; tum, quod ochroleucus (apud nos saltem) semper in saxis frequentissimus; ambiguus autem in saxis nunquam; ad arborum contra sylvestrium radicem, aut certe semiputrescentes trunco unice hactenus a me repertus fuerit.

dein

dein Michelii Lichen pulmonarius faxatilis farinaceus e glauco virescens &c. pag. 94. num. 6. & num. 7. tab. 51. fig. 4. & 5. ad ambiguum hunc meum? aut ad ochroleucum pertineat potius? aliis dijudicandum relinqu. a in tabula repræsentat Lichenem hunc juniorem, b adultiorem & vetulum.

## CCCX.

## LICHEN TARTAREUS. Tab. 8. fig. 2.

Lichen crustaceus, ex albido virescens; scutellis flavescentibus, margine albo. Linn. spec. plant. pag. 1608. num. 14.

Maximis stratis rupes calcareas nudas obtegit in excelsis Dürrenstein alpibus; Dürrenstein, inquam, non Austriæ, aut Styriæ, sed Rhætiæ supra Niederndorf, & Praxenses alpes. Alias etiam abunde Goritiæ supra rupes itidem calcareas in Lisoncium propendentes ad molas Salcanenses ad pedem montis sancti. Non poterat Linnæus graphice magis Lichenis istius specificas statuere notas quam omnino fecerit, & in succincta, quam præmisī, ejusdem diagnosi, & in Westrogothico cumprimis itinere pag. 147. editionis vero Germanicæ pag. 170. Hoc nihilominus non obstante, nulla autorum adduxi synonyma; ne ea quidem Dillenii, Micheliique, ipse quæ Linnæus adoptaverat. Et profecto quis specificos Lichenis tartarei characteres, prout eosdem iteratis Linnæus proposuit vicibus, & in figura vide ri mea possunt, cum Lichene faxatili candido omnium crassissimo, & tamen farinaceo, receptaculisque Michelii florum nigricantibus? quis cum Dillenii Lichenoide tartareo farinaceo, scutellarum umbone fusco, combinare possit? Leersium, Pollichium, Allionium, Hageniumque (qui L. tartarei memi-

H h

ne-

nerunt) subticui, quia hi posteriores eadem ex Dillenio, Michelioque adoptavere synonyma; illi contra priores, & Halleri præterea Lichenem num. 2051. receperunt, qui, ut manifestum est, non tartareus Linnæi, sed scruposus Schreberi, forsitan & pertusus Linnæi est. Mihi, qui in nullius verba magistri cæce jurare consuevi, sed neque ullum propterve rejicio, propositum omnino est, non alia adducere synonyma, quam quæ cum speciminiibus a me inventis, adamussim concordent. Crusta Lichenis mei tartarei, amplissimis rupes calcareas nudas obducit stratis, estque ipsa crassissima, in glebas scruposas inæquales fissa, disruptaque undique, de se interne alba, qua tamen patet extus superficie, aquosissime ex albido virescens (*apfelgrün*) halitu, per exsiccationem infumata albescente; oris fissurarum marginalium albis. Scutellæ per eam sparæ sine lege undique, majusculæ, inæquales, primum orbiculatæ, tum gyroso-sinuatoque rotundatæ, haud admodum profundæ, cum tempore etiam applanatæ, colore disci sive & concavitatis flavecente, marginum vero peripheralium albo.

## CCCXI.

## LICHEN ÆRUGINOSUS.

Lichen leprosus, crusta verruculosa, æruginis nativæ virore, late effusa, tuberculis incarnato-rubellis, demum applanatis.

Lichen crustaceus alpinus, lignis putridis adnascens, glaucus, receptaculis florum carneis, & tumentibus. *Michel. nov. pl. gen. pag. 98. num. 38.*

*Lichen crusta tartarea verrucosa cinerea, scutellis carneis planissimis.* *Haller.* *hist. stirp. helv.* III. pag. 97. num. 2044. *Jacq. flor. aust.* III. pag. 41. tab. 273. *Scopoli. flor. carn.* 2. tom. 2. pag. 361. num. 1368. *Hagen. lich. pruss.* pag. 52. num. 20.

*Lichen Elveloides.* *Weber. spicil. götting.* pag. 186. num. 243. *Allion. flor. ped.* III. pag. 315. num. 2540. *Schrank. flor. bavar.* p. 2. pag. 512. num. 1495.

Non amplius jam Lichenis istius, tam eleganter, tamque vere a Jacquinio adumbrati, refricuisse memoriam, nisi e nuperrimorum observassem scriptis, eumdem cum nescio quibus? aliis, a se diversissimis, permixtum fuisse perperam; aut certe, velut incognitam aliis speciem, novo sub nomine, propositum. Plerique etiam, quamvis non optimo consilio, tam in hoc, quam aliis Lichenibus, dum nativus eorumdem indicandus foret color, coloris nonnisi illius meminerunt, quocum algæ hæ, non utique alias, quam aut ultima sua in ætate, aut eo certe tempore se conspiciendas dant, quo ardentibus solis semiambustæ radiis, desiccatae languent. Nonne hac solum de causa, quem ab æruginis nativæ colore judicosisimus Jacquinius æruginosum vocaverat, glaucum alias, alias & cinereum, imo & verniciformem dixit? ferendusne sit, qui flores Lathrææ Squamariæ, Monotropæ Hypopytis, Orobique nigri nigros dicat? at nigri tamen desiccatione redduntur. Semper semiputrescentes, inque fila jam ex putrefactione abeuntes sylvestrium arborum truncos, radicesve, Lichen æruginosus incrustare solet, humentibus autumni mensibus, & Clagensurti retro Ziguln, & Viëtorienses quoque per iylvas. Ea crusta scruposæ naturæ, non admodum quidem crassa, verruculosa nihilominus est, nodulis, quanta est, granulata exiguis; latissime (lineis limitata nullis) effusa undique; coloris,

humente cœlo, æruginis nativæ vividissimi; qui per exsiccationem, aut ultima demum in senecta, e viridi primum glaucescit, dum e glauco denique albido - cinerascat. Creberrima per eam undique, nulla lege sparsa, occurunt tubercula, magnitudinis inæqualis, hemisphærico - convexa, & sessilia, amænissime incarnato - rubella, quæ iisdem cum crusta de causis adulterata, depressa applanantur convexitate in orbiculares e rubello flaventes discos.

## CCCXII.

## LICHEN CILIARIS. Tab. 13. fig. 1.

*Lichen foliaceus, cespitosus; frondibus erectiusculis, linearibus, hinc convexis, inde canaliculatis, ramoso - subpalmatis, supra viridibus, subtus niveis, per oras longe ciliatis; scutellis sessili - pedunculatisque atro - rubentibus, margine subcrenatis.*

*Lichen foliaceus erectiusculus, laciniis linearibus ciliatis, scutellis pedunculatis crenatis. Linn. spec. plant. pag. 1611. num. 28. Oeder. flor. dan. tab. 711. Hoffman. plant. lich. pag. 16. tab. 3. fig. 4. Gunn. flor. norv. II. pag. 58. num. 575. Allion. flor. ped. III. pag. 319. num. 2556. Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 382. num. 1388. Gerard. gallopr. pag. 28. num. 6. Necker. del. gall. pag. 515. num. 29. Schreber. spicil. lips. pag. 126 num. 868. Leers. flor. herborn. pag. 258. num. 957. Weiss. crypt. pag. 62. a. Weber. spicil. pag. 234. num. 268. Pollich. palat. III. pag. 234. num. 1106. Schrank. flor. bavar. II. pag. 522. num. 1518. Hagen. lich. pruss. pag. 31. num. 42.*

- Muscus alter πλαννπυνοδασιφυλλος. *Colum. ephr.* pag. 335. fig. 334.  
 Lichen cinereus arboreus marginibus pilosis major. *Vaill. bot. paris.* tab.  
 20. fig. 4.  
 Lichenoides hispidum majus, & rigidius, scutellis nigris. *Dillen. musc.*  
*tab. 20. fig. 45.*  
 Lichen corniculatus planus ramulis capillaribus, scutellis petiolatis. *Haller.*  
*hijl. stirp. helv. III. pag. 83. num. 1980.*

Quibuslibet passim in arboribus is crescere consuevit. Labaci frequens in pomiferis; Clagensfurti in sylvestribus; ad aquas Spadanas; monte Schwalbacensi; tum eo intra Miltenberg & Huntheim nulla fere quercus eo caret; uti nec ulla fere populus nigra prope Waghäusel; Hex; Leodium &c. Cespites ille frondium, primum suberectarum, tum decumbentium, format, linearium, vage ramosarum varieque implexarum, supra amænissime (tempore humido) dilute viridium, & longitudinaliter teretium, subtus vero nivearum, & canaliculatarum; ramis, ramorumque ramulis frondi principi consimilibus, subpalmato-aut certe digitato-multifidis, apicem versus, perque laterum margines longe ciliatis; ciliis laxe ordinatis, primum niveis, tum rufis, ex rufo denique nigricantibus. Supera eæ frondes in pagina copiosiores, aut pauciores, vageque dispersas, aut accumulatas, proferre suo tempore solent scutellas, sessiles, pedunculatasque promiscue mixtas, magnitudine inæquales, profunde tamen semper hemisphærico-concavas, atro-rubentes, margine cinctas tumidiuſculo, introrsum revoluto, integerrimo (dum explanatus, crenulatus fiat) una cum pedunculo, viridi. Videntur pluribus in speciminibus scutellæ hæ tubercula primum suisse hemisphærico-convexa; in cylindrulos demum sat humiles, foramine terminali dehiscentes, elongata; dum pyxidata denique evaserint acetabula.

Foliosarum frondium altitudo a dimidio, ad duos usque variat pollices. Atque hic florentis, aut humore saltem reviviscentis algæ status est. A semiperfusa plurimum diversa, solam per desiccationem, tota supra dilutius aut saturatius cinerascit, scutellarum disco nigricante, halituque superficiali cælio superinducto. Vidi etiam superadultam, quanta quanta supra fuit, furfuraceis undique obsitam squamulis, scobetque, cinereo - nigricantibus, ad eum omnino modum, ut plerumque in Lichene furfuraceo id evenire assolet. Figura *a* Lichenem tempore humido, *b* sicco exhibit.

## CCCXIII.

## LICHEN HISPIDUS. Tab. 6.

*Lichen foliaceus cespitosus glauco - subvirescens; frondibus linearibus, subpinnato - laciniatis, centrifugis; laciniis rotundato - latescentibus, subtubulosis, margine elongato - ciliatis; scutellis subsessilibus ex fusco nigricantibus, albido - marginatis.*

*Lichenoides hispidum minus, & tenerius, scutellis nigris.* Dillen, tab. 20.  
fig. 46.

*Lichen hispidus foliaceus laciniatus albus, laciniis ascendentibus obtusis pilosis, scutellis sessilibus.* Schreber. spicil. lipf. pag. 126. num. 1120.

*Lichen hispidus fronde semipinnata canaliculata cinerea.* Leers. flor. herb. pag. 259. num. 958.

*Lichenoides hispidum foliiforme laciniatum, laciniis ascendentibus semitubulosis, margine hispidis.* Hoffman. plant. lich. pag. 13. tab. 3. fig. 2. 3.

*Lichen cinereus arboreus minor, marginibus pilosis.* Vaill. bot. paris. tab. 20.  
fig. 5.

Li-

Lichen pulmonarius exiguus adnascens arboribus, superne cinereus, inferne albus, receptaculis obscuris. *Michel. nov. plant. gen. pag. 93. tab. 50. ord. 27. & 28.*

Lichen fronde profunde laciniata semitubulosa ciliata. *Haller. III. pag. 92. num. 2019.*

Lichen tenellus. *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 394. num. 1406. Weber. spicil. pag. 235. num. 269. Allion. flor. ped. III. pag. 318. num. 2554. Schrank. flor. bav. II. pag. 522. num. Hagen. lich. pruss. pag. 80. num. 41.*

Studiose Licheni ciliari, hunc hispidum Dillenii subnecto; tum quia a compluribus Neckero, Weissio, Pollichio, Gerardo, minus conjuncti recte fuerunt uterque, utut inter se divertissimi; cum etiam, ut specifica eorumdem inter se diversitas, si simul obversarentur oculis, tanto perciperetur facilius. Maxima is ut plurimum, per rimosos salicum, populi nigræ, aliarumque, etiam fructiferarum arborum, cortices, occupat spatia cespitosissimus, versus Salatrena, & Papiermühle; alias & in quercubus, fraxinis, pruno spinosa; majorique copia in vetustis agrestium sepium, vento pluvio expositarum, asseribus, versus Ebenthal & Harpach. Rarissime, ut in a & b visitur, in saxis; quibus ciliaris numquam increscere solet. Etsi vero hispidus hic noster Lichen diversimode sœpe configuratus inventur; nam omnino interdum nil nisi confertissime accumulata, nulloque digesta ordine, foliola video libere assurgentia, ad duas, vixque tres lineas, tubulis nescio quibus, pilisque interstincta hispidis; ut e populo nigra videre licet in dd; alias contra (ut plerumque in humidis semitabescientibus sepiariis asseribus, assolet) exiguarum instar frondium foliosarum tenuissimarum, subpinnato-lobatarum, solitarie procumbat, suberectis dun-

taxat

taxat lobulorum extremitatibus; regulariter nihilominus non tam inter foliaceos erectos, quam centrifugos (Linnæo imbricatos) verius pertinet; quos inter ciliaris haudquaquam referri potest. Foliū etenim ejus, sive in axis, aut unito magis arborum cortice (ubi solitarium, facilius tene distendere valeat) crescat, et si per quam exiguum, maximeque tenellum, rosacee expanditur semper, profundissime, versus commune centrum, in linearēs, angustissimas, subpinnato-laciniatas, & centrifugas discissum frondes, subtus niveas, nudas, & longitudinaliter canaliculatas; supra vero ex glauco albido - subvirescentes, in orbem quidem undique procumbentes, extremis tamen pinnularum, sive & ramulorum lobulis, qui obverse ovati, cum tempore etiam cuculato - semitubulosi, vagisque semper, & elongatis per oras ciliis ex albo denum nigrescentibus hispidi sunt, libere ascendentibus, & erectis. Scutellæ rarius occurunt; dum tamen occurunt, sat frequentes, & accumulatæ plerumque sunt; eæ sessiles omnino, summum subsessiles dici possunt, hemispærico - concavæ, primum atro - rubentes, tum ex fusco-nigricantes, margine coronatæ albido-cinerascente, integro. Desiccatione, & ætate, Lichen hic, totus exalbescit. Figura a. b. Lichenem hispidum sicut in saxo tempore humido aut humectatum; c. c. eundem in arbore humectatum, ramulum vero ejusdem separatum magnitudine auctum; d. d. eundem ex populo nigra tempore sicco, partem vero separatam microscopio auctam.

## CCCXIV.

## LICHEN JUNIPERINUS.

*Lichen foliaceus*, depresso - crispato - lobatus, ex viridi tandem flavissimus; loborum oris primum rotundatis farinaceo - pulverulentis, demum erectis laciniato - frondescentibus, in peltas denique orbiculato - scrobiculatas fusco - rubentes introlabentibus.

*Lichen foliaceus laciniatus crispus fulvus*, peltis lividis. *Linn. spec. plant.* pag. 1614. num. 40. *Gunner. flor. norv. I.* pag. 74. num. 204. non tamen synonyma *Halleri*, *Dillenii*, & *Columnæ*. *Necker. delic.* pag. 505. num. 14. *Leers. flor. herb.* pag. 260. num. 266. *Schrink. flor. bav. II.* pag. 524. num. 1423.

*Squamaria juniperina foliacea adscendens laciniata crispa fulva*, scutellis fuscis. *Hoffman. plant. lich.* pag. 35. tab. 7. fig. 2.

*Squamaria pinastri foliacea adscendens laciniata lobata crispa*, margine pulverulenta flava. *Hoffman. plant. lich.* pag. 33. tab. 7. fig. 1.

*Lichen pinastri*. *Scopol. flor. carn. 2. p. 2.* pag. 382. num. 1387.

*Lichen nivalis luteus*. *Weber. spicil.* pag. 238 num. 271. *B.* *Schrink. flor. bav. II.* pag. 524. num. 1422. *Scopol. flor. carn. 2. part. 2.* pag. 381. num. 1386.

*Lichen convexo - concavus lacunatus & glaber*, ramis crispatis subluteis. *Haller. hist. flirp. helv. III.* pag. 82. num. 1977. ob scutellas spadiceas ora flava &c.

Vertumnus hic Lichenum adeo externa facie, structuraque variare solet, ut pro diversa ætate pro diversis quoque speciebus haberi possit, habitusque etiam sit vel a præstantissimis. Ipse ego longiore tempore cum

beato, mihique amicissimo olim Scopolio, ex ejusdem diversis varietatibus tres Lichenum fabricaveram quondam species, Lichenem scilicet pinastri, nivalem, & juniperinum; donec, quem pinastri, semperque sterilem, credideram, cum vera juniperini fructificatione inveni; ac invento pariter vero summarum alpium nivali, ab eodem jam manifeste distinguere potuerim eam juniperini eluxuriatam varietatem, quam passim pro nivali luteo proposuerunt quidam. Nihil eo apud nos frequentius; copiosissimum certis in locis in junipero legi; nullam tamen sylvestrium respuit arborem; perquam frequens in trunco pini sylvestris, abietis, piceæque, plerumque versus earumdem radicem; etiam ex larice & quercu decerpsti; nunquam saxis, rupebusve increscens, aut nuda super terra, muscis immixtus. Praxensibus in sylvis nulla illo fere arbor caret; saepius hic florentem inveni. E pulmonariorum dixerim genere; prima saltem in ætate eorumdem mentitur formam. Folium illi, ut cætera Lichenibus centrifugis, sat tenerum, molle, demptoque desiccationis statu, flexile; rosaceæ primum in orbem diffusum, depresso, & absque radiculis velut libere repens, multifido-lobatum, sinuato-gyrosum, crispumque, inferne nudum ex albo dilute flaves, superno primum viridescens, tum magis magisque flavum, tuberculis interdum nigris admodum exiguis hinc inde obsitum; lobis laciniarum initio brevioribus, suberectis, rotundatis, fimbria marginali elevata farinaceo-pulverulenta, saturatus levante circumscriptis; tum magis magisque elongatis, inque laciniatas velut frondes utrinque sublacunosas cespitosæ assurgentibus, dum in peltas denique submarginales, subpedunculatas, orbiculato-scrobiculatas, obscure rubras introlabantur, margine cinctas flavo membranaceo-alato, crenato laciniatove, erecto-patente.

## CCCXV.

## LICHEN NIVALIS.

Lichen foliaceus cespitoso frondosus erectus niveus; frondibus membranaceis linearibus vage ramosis laciniatisque, hinc longitudinaliter canaliculatis, inde teretiusculis, utrinque lacunosis; tuberculis microscopis ex fusco nigris marginalibus.

Lichen foliaceus adscendens laciniatus crispus glaber lacunosus albus, margine elevato. *Linn. spec. plant. pag. 1612. num. 30. flor. lapp. 341. num. 446. tab. 11. fig. 1.* *Weiss. crypt. pag. 71.* *Weber. spicil. pag. 238. num. 271. a.* *Oeder. flor. dan. fasc. 4. tab. 227.* *Gunner. flor. norv. II. pag. 2. num. 316.* *Allion. flor. ped. II. pag. 319. num. 2558.*

Lichenoides lacunosum candidum glabrum endiviae crispae facie. *Dillen. musc. tab. 21. fig. 56.*

Lichen pulmonarius saxatilis tenuiter laciniatus, elegantis sulphurei coloris (basi & per exsiccationem). *Scheuchz. itin. alp. 7. pag. 541. absque icona.*

Nonnisi ultima summarum alpium juga incolit aprica, muscis instrata humilibus, Lichen, quem nivalem Linnæus dixit, an? quia nivibus cohabit sempiternis? aut? quia niveus ipse, nivis adinstar, eas dealbat nubibus proximas summitates, quas, tardivæ licet, deferere tamen solent denique nives? Eum ego in illis cum primis frequenter legi alpibus, quas Landkogel vulgo dicunt accolæ, supra Praxenses, Sarlensesque alpes; atque hic quidem, ut & in Leontinis, Dürrensteinensibusque, Licheni taurice immixtum, quem posteriorem, nupsiam antehac, sua cum fructifica-

tione? aut flore? quam isthic, inveneram, quique globosis in tuberculis, seminum Viciæ magnitudine, coloris nivei, consistit, Licheni taurico sparsim hinc inde, absque stipite, innatis. Ad nivalem redeo. Numquam is arboreus, ut ea juniperini varietas, quam sub nivalis lutei nomine recensueret quidam; terrestris imo semper, faxatilisque; quibus, mirum! muscos inter, absque radice, leviter verius inhæret, quam proprie innascitur. Bipollicularibus plus minus is recta assurgit frondibus, densos in cespites collectis; suntque frondes illæ foliaceæ, tenere membranaceæ, molles, flexilesque, desiccatione duntaxat rigidæ fragilesque; de se lineares, duas tresve lineas latæ, vage ramosæ, laciniatæque, utrinque scrobiculato-lacunosæ; marginibus lateralibus ita longitudinaliter superiorem in partem semiconniventibus, & semiconvolutis, ut hinc longitudinaliter canaliculatae, illinc teretiussculæ evadant. Color illis niveus; per ætatem aquosissime ex albo subflavescens; basi, ubi humum muscos inter, contingunt, qua demum cunque ex causa, plerumque dilute flavus. Glabrities contra, utut ex scrobiculis, lacunisque inæquabiles, ea fere eboris. Flores, peltasque, quas Linnæus rarissime, Dillenius vero numquam hoc in Lichene vidit, nec mihi adhucdum, utut curiose quæsierim, videre contigit; vidi nihilominus semper, etsi non nisi microscopio, exilissima ex fusco demum nigra punctula sive tubercula, per marginum oras, extimosque lacinularum apices, ciliorum loco, ordinata, & sessilia; qualia fere, minusque frequentia, non tam in laterum marginibus apicibusque, quam ipso verius superiore folio Lichenis pinastri, sive juniperini occurrere solent.

## CCCXVI.

## LICHEN ISLANDICUS. Tab. 8. fig. 1.

Lichen foliaceus, cespitose frondescens, erectus, supra aquo le viridis, sub-  
tus niveus; frondibus coriaceis, vage ramosis, laciniatisve, hinc lon-  
gitudinaliter canaliculatis, illinc teretiusculis lacunofisque, per oras  
ciliatis; peltis submarginalibus pulvinatis rubentibus, per oras sub-  
ciliatis.

Lichen foliaceus adscendens laciniatus, marginibus elevatis ciliatis. Linn.  
*spec. plant. pag. 1611. num. 29.* Hoffman. *plant. lich. pag. 41. tab. 9.*  
*fig. 1.* Oeder. *flor. dan. tab. 155.* Scopol. *flor. carn. 2. p. 2. pag. 380.*  
*num. 1385.* Weiss. *crypt. pag. 68. & ex eo Hagen. lich. pruss. pag.*  
*82. num. 43.* Weber. *spicil. pag. 237. num. 270.* Pollich. *III. pag.*  
*235. num. 1107.* Allion. *flor. pedem. III. pag. 319. num. 2557.* Schrank.  
*flor. bav. II. pag. 527. num. 1528.* Gunner. *flor. norv. II. pag. 29. num.*  
*425.* Gerard. *gallopr. pag. 29. num. 7.*

Lichenoides rigidum eryngii folia referens. Dillen. *musc. tab. 28. fig. 111.*  
& *fig. 112.*

Lichen pulmonarius minor angustifolius spinis tenuissimis ad margines, re-  
ceptaculis florum rubro - ferrugineis. Michel. *nov. plant. gen. pag.*  
*85. num. 7. tab. 44. fig. 4.*

Lichen fronde convexa, ciliata, pustulata, obtuse ramosa, utrinque lævi,  
ramulis brevissime bicornibus. Haller. *hist. stirp. helv. III. pag. 82.*  
*num. 1978.*

Hic tanta Lichen alpes univerſe noſtras iſternit copia, ut dubitem  
 an ipſa vel in Islandia, a qua primum denominationem accepit, in majore  
 detur? quam triftis, aspectuque ignobilis poſtea, quam per plures æſtates,  
 aperto ſub jove egit, alternisque æſtus frigorisque vicifitidinibus e coria-  
 cea in corneam abiit naturam, rigidis hoīrens ciliis; tam viſui omnino  
 gratus, amæniſſimoque ſpectabilis virore, juvenili dum in ætate, floridas  
 in pulvillum attollit peltas. Et hic quoque, ut nivalis, pure terrefris;  
 humo, muſcos inter, leviter, viꝝque radicatus, hærenſ; foliaceus, frondi-  
 osus, erectus; frondibus amplos, deniſiſmosque in cespites accumulatis,  
 mutuoque implicatis, & ex intercuſſatione paſſim connaſcentibus; ſunt illæ  
 alias ſat angustæ, unam alteramve latæ lineam; multo latiores alias; ſem-  
 per tamen fere lineares, vage ramosæ, laciniatæque; fronde principe, la-  
 ciniisque ramorum ita ſemper longitudinaliter ſemiconvolutis, ut hinc (ex  
 parte ſupera) canaliculatæ ſint, illinc contra (in ſera ex parte) teretiuscu-  
 læ; ciliis per omnes margines ſimplicibus, compositivे obſitæ. Earum na-  
 tura, quamvis omnino foliacea, non tamen, ut in nivali, membranacea,  
 verum potius coriacea, crassiuscula, in juventute, aut humore, lenta, &  
 flexilis; per exſiccationem & ætatem, in corneam abiens duritatem, firmi-  
 tudinem, & rigiditatem. Idem & de marginalibus quoque ejusdem ciliis  
 intellige; quæ primum innocua, & tenera, per desiccationem pungentes in  
 spinulas fuſci coloris durantur. Colorem algæ hujus quod attinet; is juve-  
 nili & florente in ætate amæniſſimus proſecto eſt; ſupra ſcilicet gratiſiſmo,  
 dilutoque oculos oblectans virore, quem glabrities, nitorque ejusdem pa-  
 ginæ non parum exaltat; aversa vero in parte niveus, immaculatus, nito-  
 ris expers, ex pufulis ſcrobiculisque introlabentibus, nec in ſuperam pa-  
 ginam intumefientibus, velut variegatus. Bases frondium, quibus terræ  
 innituntur, ſemper ſaturate ſanguineæ. Omnis interim hæc colorum pe-

plu-

plurium intervallum annorum deperit pulchritudo; dilutus etenim ille viror, magis saturatur magisque, dum ex obscuro virore fulcescat denique nigro-bruneus factus; niveus ex adverso partis inferæ candor, nescio quo superficiali, aqueoque fuliginis infumatur halitu, albidis pustularum variegatus cavitatibus. Fructificationem Lichenis istius non tam scutellæ, quam peltæ verius scutiformes absolvunt, in alpinis frequentes. Infera videlicet extimarum frondis laciniarum pagina, rarius ipsum per marginem, plerumque vero paulo infra marginum oras, in majusculam scrobiformem introlabitur lacunam orbicularem, ovalem, aut & inordinate subrotundam, quæ in supera viridi pagina in pulvillum convexum, glabrum, incarnato-rubellum, tum dilute roseum, & ex roseo saturatius rubrum (dum ex rubro spadiceus denique, imo fuscus etiam fiat) scuti-aut peltiformem, paululum attollitur, margine alias nudo, alias etiam ciliis exstantibus coronato. Figuram proposui juxta exemplar ex alpibus allatum; in qua videas, qua ratione frondes annuae in cespite frondium annotinarum, exortæ, cum iisdem implacentur, & laciniis suis mutuo ex contactu connsancantur.

## CCCXVII.

## LICHEN CROCEUS. Tab. II. fig. 2. 3.

Lichen coriaceo-foliaceus, repens; frondibus obovatō - subpalmatis, crenatis, planis, ex eodem velut centro in orbem diffugientibus, supra saturate viridibus glabris; subtus coriaceis, saturatius ramoso-venosis; peltis pulvinato-convexitatis sparsis adnatis obscure rubris.

Li-

*Lichen foliaceus repens subrotundus planus, subitus venosus villosus croceus, peltis sparsis, adnatis.* Linn. *spec. plant. pag. 1616. num. 50. flor. lapp. pag. 338. num. 443. tab. 11. fig. 3.* Oeder. *flor. dan. tab. 263.* Gunner. *flor. norv. II. pag. 88. num. 735.*

*Lichenoides subitus croceum, peltis appressis.* Dillen. *musc. tab. 30. fig. 120.*

*Lichen fronde rotunde lobata, plana, subitus venosa miniata.* Haller. *stirp. helv. III. pag. 87. num. 1994.*

Perelegantem summarum alpium incolam, in excelsis Leitersteig iugis supra Fladnizenses alpes, ad umbrosa rupium latera, ipsa in terra, mucos inter, decumbentem? aut repente verius? inveni. Unicum credas folium, late in orbem effusum, peripheriam versus rotundato-lobatum; plures interim, nec reapse inter se unitæ, sunt frondes, coriaceo-foliaceæ, crassifculæ, lentæ, obovato-subpalmatæ, rotundato-sublobatæ, per oras marginum crenatæ; quæ ita juxta se in orbem ordinatæ, perque terram diffusæ, repunt, quasi ex eodem genitæ centro, ab invicem centrifugæ, divergentesque recedant. Eæ supra juvenili in ætate, recentesque, aut certe ex humore reviviscentes saturate virides, glabræ, ac nitentes sunt; peltis pulvinato-convexis, lentiformibus, aut ovalibus, magnitudine inæquilibus, obscure rubris, nullo per folium sparsis ordine, adnatisque oblitæ; subitus contra saturate rubro-aurantiacæ, aut si velis croceæ, subtilissime primum tomentosæ, tum nudæ, attamen venis exstantibus ramosissimis, saturationibus, cum tempore fusco-nigricantibus, costatæ. Senio, aut longiore intra chartas desiccatione, naturalis plantæ viror, in spadiceum emixitur, peltæque complanantur nigricantes. Ex quo patet, qualem, quoque in statu, plantam suis ab amicis Hallerus, tum & ex Groenlandia Dillenius habuerit. Figura secunda Lichenem superne, tertia inferne repræsentat.

## CCCXVIII.

LICHEN RESUPINATUS. Tab. 12. fig. 1.

*Lichen coriaceo-foliaceus, repens, sinuato - crispus, lobato - laciniatus,*  
*supra obscure viridis & glaber, subtus obsolete albidus & villosulus;*  
*peltis marginalibus pedunculatis flavo - rubentibus, postice adnatis.*

*Lichen foliaceus repens lobatus, peltis marginalibus posticis.* Linn. spec.  
*plant. pag. 1615. num. 44. Oeder. flor. dan. tab. 764. Gunner. flor.*  
*norv. II. pag. 93. num. 763. Weber. spicil. pag. 266. num. 288. & ex*  
*eo Hagen. lich. pruss. pag. 99. num. 50. Gerard. gallopr. pag. 30.*  
*num. 13.*

*Lichenoides fuscum, peltis posticis ferrugineis.* Dillen. musc. tab. 28.  
*fig. 105.*

*Lichen pulmonarius major & minor ex obscuro cinereus, inferne ex albo*  
*rufescens, receptaculis rubris ad latera oblongis.* Michel. nov. plant.  
*gen. pag. 86. num. 1. 2, tab. 44. ord. 13. fig. 1. 2.*

Rarum hunc Lichenem copiose in alpestribus Praxensibus, haud procul balneis, in quercuum, pinorumque truncis, plerumque versus earundem radices, & ad rivulos, tum in terra ad umbrosa rupium latera inveni, plurimum colore a se ipso differentem, prout desiccatus squaleret, aut contra recens, vel ex humore reviviscens, occurrit. E coriaceorum quidem genere, folio nihilominus teneriore, quam plerique congeneres. Illud late per arborum trunco serpens, quaquaversum se diffundit sinuato - crispum, inordinatis peripheriam versus laciniis lobatum; lobis extiniis obtusis, rotundatis, in pedunculos velut, aut dactylos assurgentibus. Superficies ejus

superæ glabra quidem, attamen & lacunosa simul est aliquantum, & scrobiculis pustulata introlabentibus, coloris in recente humenteve planta obscuræ saturateque viridis, ne extimis quidem subpedunculatisque lobis exceptis; in planta contra senescente aut desiccata obscurissime fulci; halitu non nunquam superinducta cineracente. Infera vero ejusdem Lichenis pagina, qua arboribus adhærere leviter solet, primum albida, microscopicis demumque evanescientibus obsita villulis; cum tempore nuda, ex albido obsolete subrufescens. Quod proprium maximeque peculiare algæ huic est, peltæ ejusdem sunt rufo-ferruginecentes, & per desiccationem obscurissime saturateque rubræ, quæ non ut in aliis Lichenibus, superæ eorumdem superficie, verum inferæ adnascuntur, ad extimos laciniarum subpedunculatos lobos pulvinato-convexæ, latiores semper quam longæ; integerimæ aut retuso-emarginatæ. In a sistitur Lichen tempore humido, in b desiccatus.

## CCCXIX.

## LICHEN SYLVATICUS. Tab. 12. fig. 2.

Lichen coriaceus, repens, laciniato-lobatus, supra nigro-viridis (desiccatione fulcus) lacunosus, verruculosusque; subtus fuscescens, tomentosus, punctis niveis pustulatus; peltis ovato-oblongis, ex fusco rufis.

Lichen coriaceus repens laciniatus lacunosus, peltis marginalibus adscendentibus. *Linn. syst. nat. tom. 2. pag. 712. Leers. flor. herb. pag. 262. num. 977.*

*Lichenoides polylichides villosum & scabrum, peltis parvis* Dillen. tab. 27. fig. 101.

*Lichen pulmonarius saxatilis fusco - rufus, receptaculis florum albidis.* Michel. nov. pl. gen. pag. 84. ord. 11. tab. 43.

*Lichen lacunatus exasperatus, inferne villosum, scutellifer.* Haller. hist. stirp. helvet. III. pag. 85. num. 1987.

*Peltigera sylvatica.* Hoffman. plant. lich. pag. 21. tab. 4. fig. 2.

In rupibus umbrosis sylvarum Zigulnensium, humentes inter muscos prorependo sese diffundens, magnam partem liber. Folium subcoriaceo-membranaceum, ut in Lichene glauco, molle, flexileque, prorependo qua-quaverum sese diffundens, laciniato-lobatum, sinuato-crispatum; jam profundiores, magisque elongatas in frondes partitum lobatas; jam unitum magis, peripheriam dntaxat versus, in latas breviterque sinuato-lobatas dissectum lacinias; superne florente in ætate, aut tempore humidiuculo, saturate ex nigro velut viride; glabrum quidem, attamen scrobiculato-lacunosum, verruculisque obsitum subpulverulentis; inferne contra ex albido magis magisque fuscescens, villulis brevissimis, stipatissimeque addensatis nigro-tomentosum, & pustulis sive foveolis niveis, nudis, inæqualibus, undique sparsis variolose variegatum. Peltæ in eo rariores, eæque, quam in congeneribus, minores, brevioresque, oblongo-ovatae, ex fusco-rufæ, subpedunculatae, id est, extremis marginalium lacinarum lobulis linearibus adscendentibus supera in pagina sub apice adnatæ. Sistitur in a Lichenis recentis utraque pagina tempore humido; in b eadem tempore sicco.

## CCCXX.

## LICHEN CANINUS. Tab. 14. fig. 1.

*Lichen coriaceus* repens obtuse lobatus, supra saturate viridis, desiccatione cinereus; subtus niveus, longitudinaliter costato - venosus, fibrillosusque; peltis ovalibus, adscendentibus, normaliter concavo - convexis, rubris.

*Lichen foliaceus* repens lobatus obtusus planus, subtus venosus, villosus; pelta marginali adscendente. *Linn. spec. pl. pag. 1616. num. 48.* *Oeder. flor. dan. tab. 767. fig. 2.* *Gunner. flor. norv. II. pag. 55. num. 557.* *Necker. del. gal. pag. 516. num. 32.* *Leers. flor. herborn. pag. 261. num. 972.* *Weber. spicil. götting. pag. 269. num. 290.* *Weis. crypt. pag. 78. a.* *Pollich. III. pag. 247. num. 1118.* *Allion. flor. ped. II. pag. 322. num. 2567.* *Schrank. flor. bav. II. pag. 534. num. 1540.* *Gerard. gallopr. pag. 31. num. 14.* *Scopol. flor. carn. 2. pag. 383. num. 1389.* *Hagen. lich. pag. 100. num. 51.*

*Lichen terestris* cinereus. *Vaillant. bot. paris. tab. 29. fig. 16.*

*Lichenoides digitatum* cinereum lactucæ foliis sinuosis. *Dillen. hist. musc. tab. 27. fig. 102.*

*Lichen fronde* subrotunde lobata, inferne reticulata, peltis convexo - concavis. *Haller. hist. stirp. helv. III. pag. 85. num. 1988.*

Vulgatissimus per omnes sylvas; semperque terrestris; locis rupestribus muscosis umbrosis; ad cavarum itidem latera viarum. Folio muscis paucim perosso repit late quaquaversum diffuso, crassiusculo, coriaceo, lenito, amplas in lacinias, sinuato - lobatas, crispasque partito; lobis latiusculis,

lis, obtusis, rotundatis, ex crispatione non raro assurgentibus subimbricatisve; extimum versus marginem subdigitatim partitis, in appendices sive lacinulas lineares, adscendentes, suberectas, in semicylindrum semiconvolutas, sub apice peltiferas. Color folio huic in juvene, recente, aut irrorata planta, saturate semper est viridis superne, nullis sive maculis, verrucis, aut punctis concoloribus, vel discoloribus varius. Inferne vero niveus, immaculatus. Hanc inferam folii paginam longitudinales percurrunt venæ, costarum instar existentes, decompositæ, ramosæ, mutuoque anastomosantes occursu, & ipsæ quoque niveæ, quibus superiore in superficie totidem item humiliter exaratæ respondent striæ sulcive. Copiosissimæ ex costatis his venis recta descendunt fibræ, lentæ, pariter niveæ, in exortu quidem simplices, apicem autem versus fasciculato - ramosæ; quibus terræ, mucris irretitus, radicatur Lichen. Ut porro supera ejusdem superficies per desiccationem, quanta quanta est, albido - cinerascit; sic infera cum tempore, ex albido aquosissime fuscescit; costarum venis, radicumque fibris ex albido primum fuscescentibus, tum ex fusco etiam nigrescentibus. Peltæ ovales, obscure rubræ (per desiccationem atro - rubentes) glabræ, nitentes, normaliter adnatæ lateri superiori viridi digitatarum illarum appendicu, extimorum marginalium loborum; quæ, una cum peltis ipsis, in semicylindros semiconvolutæ, e decubitu velut suberectæ adscendent concavo - convexæ; postica peltarum superficie aquose per ætatem rubescente, viridianibusque submuricata nodulis humilibus. Majus specimen faciem superiorem Lichenis recentis, separata portio posticam ejusdem faciem exhibet. Minus specimen Lichenis exsiccati est.

## CCCXXI.

## LICHEN POLYDACTYLUS. Tab. 14. fig. 2.

*Lichen coriaceus*, repens, lobatus; lobis polydactylo-peltiferis; supra saturate viridis, desiccatione cinereus; subtus niveus, longitudinaliter costato-venosus, fibrillosusque; peltis breviter ovatis, adscendentibus, normaliter concavo-convexis, obscure rubris.

*Lichenoides cinereum polydactylon*. *Dillen. musc. tab. 28. fig. 107.*

*Lichen fronde oblonga*, subtus venoso-villosa, marginibus subrevolutis, adscendentibus. *Leers. flor. herb. pag. 261. num. 975.*

*Peltigera polydactylon*. *Hoffman. pl. lich. pag. 19. tab. 4. fig. 1.*

Sat communis nostris in sylvis, locis cum canino iisdem, *in der Sattniz unter der Ziguln &c.* Nullam, hunc inter, & caninum, invenio vere specificam differentiam; nolim tamen tantis, quos citavi, obstrepere autoribus. Folium illi, ut in canino, coriaceum, ientum, & tamen fragile, supra saturate viride, ex albido semper, seu & glauco, ut primum fudo desiccatur cælo, cinereum; inferne pariter juvenili in ætate, una cum vénis venarumque radiculis fibrosis, niveum; torpidius cum tempore albescens, quin & ex albido etiam aquo denique fuscescens, extimos cum primis (eosque liberos) verius lobos. Longitudinalibus hæc eadem folii infera superficies percurritur venarum ramificationibus decompositis, quæ elevatarum instar costarum, altius nonnihil exstantes, seque mutuo decussantes, postquam una cum fibroso-fasciculatis, quibus obsitæ sunt, radiculis fuscae, & ex fusca nigrae effectæ sunt, eadem, qua in canino, ratione, reticuli albo nigroque varii formant speciem, cuius crateres quidem ex fusco nigricant,

cant, interceptæ autem, crates inter, areolæ oblongo subovales albent. Omnis itaque polydactyli a canino in eo potissimum consistere videtur diversitas, quod extimi ejusdem, peripheriam versus latescentes, lobi, in plurimas, contiguasque digitatim partiti sint appendiculas lineares, erecti-usculas, in semicylindros retrorsum semiconvolutas, apicem versus superiore in parte adnatas habentes peltas ovatas obscure rubras, normaliter concavo-convexas, iis canini tantisper minores, brevioresque; quæ an tanti sit diversitas, ut novam omnino, a canino diversam speciem potius, quam præcise varietatem, fundare debeat, aliis disquirendum relinquo, addita utriusque hunc in finem quam exactissima figura. *a* Lichenem sistit recentem tempore humido; *b* tempore sicco aut desiccatum.

## CCCXXII.

## LICHEN RUFESCENS. Tab. 15.

Lichen coriaceus repens laciniato - lobatus, marginibus loborum sinuato - crispis; supra saturate ex fusco - viridis, desiccatione rufo - fulcescens; subtus niveus, nigro - reticulatus, fibrillosusque; peltis subrotundis, obscure rubris, tandem adscendentibus.

Lichenoides digitatum rufescens, foliis lactucæ crispis. *Dillen. musc. tab. 27. fig. 103.*

Lichen pulmonarius maximus superne e cinereo - rufescens &c. margine criso & fimbriato receptaculis plano - orbiculatis. *Michel. pag. 84. ord. 12. num. 1.*

Li-

*Lichen pulmonarius major &c.* receptaculis florum primum circinatis, dein teretibus. *Michel.* pag. 85. ord. 12. num. 4. tab. 44. fig. 2.

*Lichen fronde rotunde lobata*, inferne villosa, peltis erectis convexo-concavis. *Haller.* hist. stirp. helv. III. pag. 86. num. 1990.

*Lichen fronde lobata obtusa avenia*, margine sinuata, subtus villosa, peltis subrotundis. *Leers.* flor. herborn. pag. 261. num. 974.

Frequens & hic nostris in sylvis ad rupes umbrosas muscosas, terrestris. Cum canino paßim confusus a Webero, Schrankio, Weissloque &c. a quo nihilominus plurimum differt. Folio est coriaceo, lento, late diffuso, repente, in lacinias subfrondosas, profunde partito, frondibus obtuse lobatis, margine ex contractione sinuato-crispis; obscure ex fusco viridis, per deficcationem spadiceo-fuscus; inferne contra niveus, cum tempore nigro-reticulatus, reticuli cratibus vix, aut ne vix quidem in veras, costasve exstantes elevatis, areolas oblongo-ovatas albidas intercipientibus, radiculisque brevibus, fibrillosis, apicem versus fasciculato-ramulosis, primum niveis, tum atris, copiosissime obsitis. Peltæ terminales, ad lacinias lobarum marginales partis sive superficie superioris adnatæ, obscure rubræ, primum suborbicularis, sessiles subpedunculatæve, tandem adscendentes, subereæ, marginibusque lateralibus retrorsum inflexis, normaliter concavo-convexæ; ora marginis extima (ut in congeneribus) cum tempore lacero-crenulata. In figura a *Lichen* est humectatus, b siccus, c. c. in dorso spectatus.

## CCCXXIII.

## LICHEN HORIZONTALIS. Tab. 16.

*Lichen coriaceus repens laciniato - lobatus, supra sublacunosus, saturate ex nigro viridis, desiccatione ex cinereo tandem fuscescens; subtus niveus, avenius, nigro reticulatus; peltis marginalibus, horizontalibus, rubris.*

*Lichen foliaceus repens planus, subtus avenius, peltis marginalibus horizontalibus.* Linn. mant. I. pag. 132. num. 88. Necker. del. gall. pag. 516. num. 31. Leers. flor. herb. pag. 261. num. 973. Schreber. spicil. lipf. pag. 123. num. 1116. Weber. spicil. pag. 270. num. 291. Schrank. flor. bavar. II. pag. 533. num. 1538. Oeder. flor. dan. tab. 533. non bene. Item tab. 765. etiam non bene. Gunn. flor. norv. II. pag. 138. num. 1058.

*Lichenoides subfuscum, peltis horizontalibus planis.* Dillen. musc. tab. 28. fig. 104.

*Lichen fronde rotunda lobata peltis planissimis.* Haller. hist. stirp. helv. III. pag. 86. num. 1991.

*Muscus pulmonarius fungoides.* Barrel. tab. 1278. fig. 1.

*Lichen pulmonarius maximus &c. receptaculis plano orbiculatis.* Michel. pag. 84. ord. 12. num. 2. Item *Lichen pulmonarius maximus e cinereo rufescens, receptaculis rubris ad latera oblongis.* Michel. pag. 85. num. 8. 9. 10. 11. tab. 44. fig. 1. & 6.

Clagenfurti copiosus in sylvis intra montem Calvariæ, & Ziguln, ad umbrosa latera rupium, viarumque cavarum, truncosque resectarum arborum, hypnis, jungermanniis, aliisque immixtus muscis. Folium, persæpe amplum, late effusum, repens, coriaceum, lentum, planiusculum, inordinate laciniatum, lobatumque; lobis rotundatis, per margines sinuatis; supra saturatissime ex nigro velut viride, glabrum, inæquale, scrobiculis vagis sublacunosum; per exsiccationem primum cinerascens, tum ex cinereo magis magisque fusco - rufescens; subitus niveum, avenium, venarum tamen loco, reticulo brevi obducendum nigro, quantum quantum est amplissimo, dematis duntaxat lobarum marginibus, semper immaculatis. Crates reticuli hujus latiusculæ, primum fusco - rufescentes, exinde nigræ, intercipientes areolas albas rotundatas, magnitudine inæquales. Est præterea infera hæc folii superficies creberrimis obsita fibrillis, lentis, albis, cum tempore nigris, apicem versus de more fasciculato - ramulosis, quibus terræ radicatur, facile decedentibus. Peltæ orbiculato - pulvinatæ, integerrimæ, rubræ, ad lobarum margines sessiles, aut breviter substipitatæ, semper horizontales, cum tempore plano - depressæ, obscure ferruginescentes, & fere ex rufo nigricantes.

## CCCXXIV.

## LICHEN APHTHOSUS. Tab. 17.

Lichen coriaceus repens laciniato - lobatus, supra læte e flavo viridis, nigro - verrucosus, desiccatione e glauco cinerascens; subitus niveus, reticulo venarum, fibrillisque tandem atris; peltis rotundatis, obscure subris, adscendentibus, normaliter concavo - convexis.

Li-

*Lichen foliaceus repens lobatus obtusus planus verrucis sparsis, pelta marginali adscendente.* Linn. *spec. plant.* pag. 1616. num. 46. Oeder. *flor. dan. tab.* 767. fig. 1. non bene. Scopol. *flor. carn. 2. tom. 2.* pag. 384. num. 1390. Weber. *spicil.* pag. 267. num. 289. Leers. *flor. herb.* pag. 261. num. 971. Pollich. *III. pag. 246.* num. 1117. Gunner. *flor. norv. I. pag. 75.* num. 208. Allion. *flor. ped. II. pag. 322.* num. 2568. Schrank. *flor. bavar. II. pag. 534.* num. 1541. Hagen. *pag. 104.* num. 52. *Lichenoides digitatum* lâte virens, verrucis nigris notatum. Dillen. *musc. tab. 28. fig. 106.*

*Lichen fronde obtuse lobata, superne verrucosa, inferne villosa.* Haller. *III. pag. 87.* num. 1942.

*Lichen pulmonarius &c. e cinereo virescens &c. receptaculis rubris circinatis.* Michel. *pag. 85.* num. 3.

*Peltigera aphthosa.* Hoffman. *plant. lich. pag. 28. tab. 6. fig. 1.* cum alienis coloribus.

In sylvis abiegnis montis Ratschberg ad muscosa rupium latera; etiam ad fagorum marcelcentes truncos, tum cavarum latera viarum *in der Sattniz*; aliisque umbrosis saltuum locis. Pro canini hunc varietate proposuerat Weissius, Scopoli (in editione prima floræ carniolicæ) inductus auctoritate; agnovit nihilominus, correxitque in altera ejusdem editione floræ hunc Scopolius errorem; & recte omnino. Tenerius tantisper (ut ut semper coriaceum adhuc & lentum) aphthoso, quam Licheni canino est folium; eo nihilocieus non obstante, facilis fere, vel madidum, frangi, rumpive solet, quam illud canini, cæterorumque istius generis. Repit id, more congenerum, ad magna non raro spatia, in amplas, vaseque lobatas lacinias, aut si frondes malis? partitum, Hypnis ut plurimum transfoßum, aut

Jungermanniis instratum repentibus; colore supra elegantissime, e flavo velut, viridi; oculis tanto gratiore, quod atro - viridantibus quaquaversum inspersum sit maculis, punctisve, quæ nil nisi totidem humiliter elevatae sunt verruculæ, quibus glabra cæteroquin hæc superficies exasperari solet undique; aquose, una cum ipsa superficie, glaucescentes, & ex glauco albide cinerascentes illico, ut primum serena cæli tempestate, deficcatus hic fuerit Lichen. Infera illius superficies, nivea juveni, niveisque (quibus terræ irradicatur) copiose obsita fibris fasciculato - ramulosis, humili cum tempore venarum anastomozantium obducitur, quanta est, præter loborum margines, tota reticulo, cuius venosæ crates, una cum radicum fibris, ex niveis ferius rubescere, tum & fuscescere assolent, dum atræ denique fiant. Peltæ, ut in canino, marginales extimorum loborum assurgententes occupant appendices lineares, in semicylindros retrorsum semiconvolutas, superiori earumdem sub apice parti normaliter adnatæ, saturatius aut minus saturate rubræ, nunc orbiculares, alias oblongo - ovatæ, margine primum integræ, tum ex secedente pellicula squamo - laceræ, antice longitudinaliter convexæ, postice vero concavæ, rubentes & viridi - tuberculosæ.

## CCCXXV.

## LICHEN SCUTATUS. Tab. 18. fig. 1.

Lichen coriaceus repens multifido - lobatus, lobis adscendentibus, sinuato - crispis; supra aquose virens, nigro - subtuberculatus; subtus nudus, avenius, ex albido - subfuscens; peltis marginalibus subrubentibus, orbiculato - scutiformibus.

Rarum Lichenem maxima in copia caudicem ramosque juniperi obducentem inveni *auf dem Damm über dem Morast unter Falkenberg*. Is, dempto Lichene venoso, reliquos inter coriaceos peltiferos, minimus; copiosissime accumulatus, per omnem ramorum longitudinem; non terestris, sed arboreus; lactucæ crispæ facie. Folio constat teneriore, quam congeneres, vere tamen coriaceo, lento, nec fragili, circumscriptione in orbem diffuso, attamen sat profunde discisso, multifido-lobato, repente, lobis libere undique adscendentibus, sinuato-crispatis, endiviæ crispæ adinstar. Illud in juvene, aut madefacta planta, superne aquose, aut cum tempore obscurius etiam aliquantum, viret, virore ab aliis sui generis diverso; atque aut nudum omnino, ut figura exhibet; aut frequentibus undique, ipsosque per margines, & scuta, obsitum tuberculis subglobosis, atris, nitentibus; inferne contra pallidius albidum, & ex albido (præter loborum extremitates immaculatas) aquose fuscescens; venis, lirisve percursum multis; nee reticulo obductum discolore; adglutinatum parte sui aliqua verius, quam fibrosis radicatum cirrulis. Peltæ per omnes lobulorum adscendentium (etiam interioris folii substantiæ) margines, extremitatesque frequentissimæ, subsessiles, horizontales, orbiculato-scutiformes, primum quidem pulvinato-convexæ, tum depressæ, per æstatem denique tantisper introlabentes, coloris ex olivaceo virore rubentis, dum fuscæ aut atro-rubentes fiant. Desiccatione omnis algæ istius supera superficies fusca evadit, peltis concoloribus, sed saturationibus. Superior figura sicut Lichenem scutatum recentem aut humectatum; superior desiccatum.

## LICHEN SACCATUS.

*Lichen coriaceus repens subrotundus emarginato - sublobatus; supra lāte e flavo viridis, desiccatione e glauco albens; subtus niveus, avenius, fibrillosus; peltis fusco - rubentibus, hemisphærico - concavis, folio immersis, subtus saccatis.*

*Lichen foliaceus repens subrotundus, peltis depresso, subtus saccatis.* Linn.  
*spec. plant. pag. 1616. num. 49. Oeder. flor. dan. tab. 532. fig. 3.*  
*Gunner. flor. norv. II. pag. 138. num. 1057. Scopol. flor. carn. 2. tom.*  
*2. pag. 392. num. 1404. Leers. flor. herb. pag. 262. num. 978.*  
*Schrank. flor. bav. II. pag. 533. num. 1537. Weber. spicil. pag. 274.*  
*num. 293.*

*Lichenoides Lichenis facie, peltis acetabulis immersis.* Dillen. *musc. tab.*  
*30. fig. 121.*

*Lichen pulmonarius alpinus terestris, glauco - virens, receptaculis flo-  
rum fuscis.* Michel. *pag. 95. ord. 31. tab. 52.*

*Lichen fronde coriacea, rotunde lobata, scutellis immersis.* Haller. *hist.  
stirp. helv. III. pag. 87. num. 1995.*

In umbrosis sylvarum sub castello Holenburg, locis rupestribus, sa-  
bulosis, terestris, tum *beym kalten Bründl in der Satniz*; item locis simili-  
bus in alpibus Praxensibus, olim etiam Idriæ ad radices montium sylvosof-  
rum ad rupes umbrosas irroratas. Plura communiter, velut in societate,  
crescere assolent foliola parva, subrotunda, planiuscula, per oras vase &  
inordinate emarginata; quæ decursu temporis latius sele diffudentia,

æqua-

æqualibus patent repentina lobis, rotundatis, obtuse sinuato - emarginatis. Teneriora quamvis sub principio; tempore nihilominus æque coriacea, & fragilia ea denique fiunt, ac illa Lichenis canini, superne nuda, glabra, nitentia, coloris lætissime e flavo velut viridis, per desiccationem e glauco albentis; subtus nivea, & ex niveo denique dilute subrubentia, cæterum avenia, fibrillis brevibus coriaceis, ramulosis, niveis firmiter terræ radicata. Peltæ, ut in Lichene croceo, per ipsam folii medium substantiam sparsæ, non tamen in pulvillo elevatæ; in scrobes immo hemisphærico-concavas ita in folium demersæ, ut in averla, eaque infera ejus superficie convexos in tophos emineat. Cavitas earumdem supera, cuticula coriacea fusco-primum rubente, tum ex suico obducitur atra.

## CCCXXVII.

## LICHEN VENOSUS.

*Lichen coriaceus repens*, foliolis concavis, adscendentibus, obovato-subflabelliformibus, breviter per oras sublobatis, supra saturate olivaceo-viridibus, desiccatione cinereis; subtus niveis, costato-venosis; peltis marginalibus, orbiculatis, horizontalibus fusco-rubentibus.

*Lichen foliaceus repens* ovatus planus, subtus venosus villosus, peltis marginalibus horizontalibus. *Linn. spec. plant. pag. 1615. num. 45.* *Hoffman. plant. lich. pag. 31. tab. 6. fig. 2.* *Necker. del. gal. pag. 515. num. 30.* *Schrank. flor. bav. II. pag. 533. num. 1539.* *Pollich. pal. III. pag. 245. num. 1116.* *Weiss. crypt. pag. 82.* *Leers. flor. herb. pag. 261. num. 970.* *Gunner. flor. norv. II. pag. 93. num. 764.*

Li-

*Lichenoides* [parvum virescens, peltis nigricantibus planis. *Dillen.* tab.

28. fig. 109.

*Lichen* flabelliformis, subitus reticulatus, scutis marginalibus planis. *Haller.*

hist. stirp. helv. III. pag. 87. num. 1993.

*Lichen pulmonarius* minimus &c. receptaculis nigricantibus. *Michel.* pag.

85. ord. 12. num. 12. tab. 44. fig. 3. & num. 13. tab. 44. fig. 5.

In aggeribus muralibus terra instratis prope St. Mörten, & Kesslin, alibique &c. Minimus inter omnes sui generis; foliolis constat solitariis, aut in cespitem aggregatis; primum duas tresve lineas vix superantibus, tum ad dimidium & ultra pollicem excurrentibus; sunt ea semper latiora tantisper, quam longa, coriacea, lenta, superne saturate olivaceo-viridia, desiccatione cinerea, & nuda; subitus contra initio nivea, ac byssino brevissimoque obsita tomento, quo decedente, costatae longitudinaliter sese tantisper elevant venæ subanastomosantes, sensim dilutissime purpurascentes, dum nigræ effectæ, reticulo superficiem hanc obducant albo nigroque vario. Est foliolis his prima in ætate (ut Dillenius circiter tabula 28. fig. 110. expressit) configuratio hemisphærico-concava, ut nisi natura coriaceo-foliofa obstatet, elvelam acetabuliformem sessilem, centro per fibrillas exiguae terræ radicatam dices. Nullæ tum marginem integerimum coronant peltae. Sed brevi versus partem alteram eadem elongantur foliola, magis progressu magisque latescentia, suo parte opposita in statu permanente; ut figura Licheni jam sit obovato-simulque auriformi - subflabelliformis, illinc adscendens, & libera. Margo tum frondis subereftæ crispari, emarginaturis passim excindi repandis, in lobulos etiam alternatim produci breviusculos, & peltis incipit coronari subsessilibus, orbiculatis, horizontalibus, fuscō-rubentibus, per ætatem & desiccationem nigris.

## CCCXXVIII.

## LICHEN PERLATUS. Tab. 10.

*Lichen foliaceus*, repens, crispato - lobatus, loborum fimbria farinaceo - pulverulenta, supra dilute viridis, desiccatione glaucus; subitus ater, subvillosum; scutellis pedunculatis rubris, tandem fuscis.

*Lichen coriaceus* repens lobatus glaber, subitus ater, scutellis pedunculatis integris. *Linn. syst. nat. tom. 2. pag. 712.* *Necker. del. gal. pag. 507. num. 17.* *Leers. flor. herb. pag. 262. num. 976.* *Pollich. palat. III. pag. 249. num. 1119.* *Schrink. flor. bav. II. pag. 523. num. 1521.*

*Lichen glaucus.* *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 387. num. 1395.* *Weber. spicil. pag. 242. num. 274.* *Allion. flor. ped. III. pag. 321. num. 2566.* ob citatum Vaillantum.

*Lichenoides glaucum perlatum*, subitus nigrum, & cirrosum. *Dillen. tab. 20.*  
fig. 39.

*Lichen pulmonarius saxatilis cinereus minor umbilicis nigris.* *Vaill. tab. 23.*  
fig. 12.

*Lichen pulmonarius crispus inferne nigricans glaber*, superne cinereus, receptaculis subobscuris. *Michel. pag. 91. ord. 24. num. 1. 2. 3. tab. 50.*  
fig. 1. 2.

*Muscus cristatus?* *Barrel. tab. 1278. fig. 3.*

Frequentissimus in abietibus, quercubus, fagisque &c. Labaci, & Clagenfurti. Copiosus etiam in saxis sylvarum Zigulnensium, rarissime ut plurimum florens; in fagis tamen montis Ulrichsberg saepius florentem decerpfi. Linnæus coriaceos inter retulit vere pulmonarium, nec peltiferum.

M m

Dil-

Dillenius vero hirsutum subtus, cirrosumve dixit, qui nec semper, nec ubi-  
vis, nec omni tempore infera talis in superficie est. Ego nonnisi raro La-  
baci, semel aut bis Clagensurti brevissimis subtus nigrisque villulis inveni  
obsitum; cætera semper nudum, glabrumque, perinde ac Michelius, Sco-  
polius, Weberus; ut adeo, qui exiguae has fibrillas in specifico subticuerit  
caractere, vix aut ne vix quidem erraverit; tam enim breves, tamque le-  
viter sunt hærentes, ut decedente a corticibus, saxisque folio, in illis,  
non item in hoc, permaneant depactæ. Repit per cortices arborum, faxa-  
que, quaquaverum diffusum Lichenis istius folium, papyraceæ quidem te-  
neritudinis, naturæ tamen subcoriaceæ; lactucæ adinstar, non extimum mo-  
do per ambitum, sed vel intermedium etiam per aream crispato - lobatum;  
lobis ex decubitu assurgentibus, liberisque, rotundatis, sinuose emarginata-  
tis; supra in humente planta, elegantissime e glauco dilute virens, per de-  
siccationem vero dilutius aut saturatius glaucum; semper glabrum, & velut  
oleo delibutum; subtus versus extimos lobarum margines dilute fulcescens,  
nudum, nitens, introrsum contra atrum, jamque nudum, vel fibrillis exi-  
guis, simplicibus, leviterque hærentibus obsitum. Farinaceo - pulverulen-  
ta, tumensque, & albidioris coloris fimbria extimum superne lobarum mar-  
ginem circumscribit; eorum cum primis, ex intermedia folii qui sese attol-  
lunt substantia; utut non raro illorum etiam, qui ultinam illius crispati ter-  
minant circumferentiam. Videas tamen nonnunquam etiam sparlos per om-  
nen reliquam superiorem folii superficiem farinaceo - pulverulentos pulvilli-  
os, hemisphærico - convexos, materiei, colorisque cum fimbria ejusdem, quos  
cave, ne cum florentibus confundas scutellis; sunt etenim hæ (utut raro  
obviæ) aliis plane indolis; scilicet substantiæ foliaceæ, hemisphærico -  
concavæ, majuscule, interne primum rubræ, tum ex rubro fulcescentes,  
extus folio concolores, non, ut pulvilli, sessiles, verum cylindraceo li-

nea-

nearum aliquot insistentes pedunculo, ejusdem coloris lavorisque. In *a* Lichen exhibitur siccus supra saxa; in *b* ibidem tempore humido; in *c* vetulus & desiccatus in arboribus.

## CCCXXIX.

## LICHEN DUBIUS. Tab. 19. fig. 1.

Lichen foliaceus repens crispato - lobatus, loborum fimbria farinaceo - pulverulenta; supra rugosus, viridis, desiccatione pallidior; subtus ex albido - fuscens, fibrillosus.

Frequens in abietum, fagorum, aliarumque sylvestrium corticibus arborum. Multa huic cum *L. perlato* communia, a quo nihilominus certissime differt, folio utut pulmonario, multo tamen teneriore, humiliore, minus diffuso, magis undique, arctiusque corticibus appresso, ut vix nisi extimo lobulorum peripherialium margine ab iisdem solutum libere pateat. Color tum superficie utriusque, tam irrorati, quam desiccati constanter diversissimus. Orbiculari se illud per cortices (numquam saxa) arborum diffundit circumscriptione, radiculis fibrillosis fuscis brevissimis, & simplicibus, densissimeque accumulatis firmissime iisdem hærens, ut vix humidum ab eis avelli valeat integrum, plusquam papyraceæ (etsi subcoriaceum) teneritudinis, sic vero, quantum quantum est, non ad extimum duntaxat peripheriæ ambitum, sed vel ipsam per intermedium etiam aream, plicis humillimis, vixque ad semilineam assurgentibus sinuatur dædaleis, ut totum, endiviæ adinstar, crispato - lobatum sit undique, lobis rotundatis, sinuose emarginatis, fimbria marginali farinaceo - pulverulenta, e virore albescente

superne circumscriptis. Color illi superne non is, qui perlato, e glauco dilute virens; sed saturato, irrorato, viridis, per desiccationem idem, sed impallescens; subtus contra albidus, & ex albido introrsum fuscescens, radiculisque fuscis brevissimis stipatissime obsitus. Nec dissimulanda denique, qua a perlato plurimum semper distat, superficie superæ est indoles; quæ in perlato, ut dixi, glabra, impalpabilis, oleo velut delibuta est, cum in hoc contra opaca, rugulisque, nescio quibus? transversis scabriuscula, & exasperata velut sit. Scutellas, utut per multos curiose quæsierim annos, nondum tamen adhuc invenire potui ullas. Figura a Lichenem repræsentat irroratum superne; b inferne.

## CCCXXX.

## LICHEN GLAUCUS. Tab. 19. fig. 2.

Lichen foliaceus, depresso, laciniatus; supra ex virore, albido - glaucescens, sublacunosus; laciniis adscendentibus, vase lobatis, sinuato-crispatis, margine ciliato-ramulosis, pulverulentis.

Lichen foliaceus, depresso, lobatus, glaber, margine criso farinaceo.  
*Linn. spec. plant. pag. 1615. num. 42.* *Oeder. flor. dan. tab. 598.*  
*Gunner. flor. norv. II. pag. 93. num. 761.* *Weiss. crypt. pag. 75.*  
 optime. *Leers. flor. herb. pag. 260. num. 963.* *Pollich. palat. III. pag. 245. num. 1115.* *Schrank. flor. bav. II. pag. 523. num. 1520.*

Lichenoides endiviae foliis crispis splendentibus, subtus nigricantibus. *Dill. tab. 25. fig. 96.*

Supra abies sylvarum Praxensium, sub alpibus Geisl, & Dürrenstein. Folium magis, quam perlato, tenerum; ne subcoriaceum quidem; in humore etiam perquam molle; latissime sese quaquaversum non raro diffundit, depresso, aut verius decumbens; copiosas vase, discissum in lacinias, lobato - subfrondescentes, ex decubitu libere subascendentes, sinuato - crispatas, plerumque etiam longitudinaliter, aut convexas, oris marginum deoſum inflexis; aut concavas, lateribus utrinque sursum semicontrahitis. Extimi lobarum margines obtusiflui, ut plurimum simul in plicas crisiari, pulvereque farinaceo ex albido - cinerascente adspergi, tum & in ciliares denique multifido - ramulosas lacinulas albido - pulverulentas abire solent. Est cæterum supera folii istius superficies glabra, scrobiculis sparsis sublacunosa, coloris ex aquoso viore, albido - glaucescentis, punctis maculisve atris persæpe varia, per desiccationem albidior; subtus contra atra, subrugosa, glabra, paucis modo rariterque sparsis fibrillis ramulosis (quibus leviter arbori radicatur) obsita. Mirabar non parum, dum in eodem Lichenis hujus exemplari, complures nonnunquam frondescentes lacinias subtus inveneram ex integro niveas, aut immaculatas, aut punctis creberri- mis atris obsitas, dum ex toto reliquæ anthracinæ forent; subdubitareque, ut verum fatigari, cepi, anne Lichen Weberi fallax, seu alpinus membranaceus elegans &c. Michelii tab. 37. ab hoc nostro, Linnæi, Dilleniique glauco specifice omnino differret? Idque eo magis, quod, cum in exemplaribus quidem meis, perinde ac Dillenius, numquam adhuc fuscas illas, quas alii, invenire potuerim scutellas folio insidentes, invenerim nihilominus ad extimum laciarium quarundam marginem (rarius, interdum tamen, & in supera folii superficie) adnatos, nescio quos? tophos membranaceos inflatos inanes subrotundos coloris dilute virentis, qui in rugas dein inæqualiter per exsiccationem introlabi, quin & tubæformes quandoque cyathos.

formare incipiebant, atris interdum punctis maculatos. Halleri Lichenem num. 2007. quod non citavi, ratio est, quia ad eumdem & glauci simul ex Linnæo, Dillenioque, & perlati quoque ex Michelio, Vaillantioque adfert synonyma; neque ex descriptione præclarissimi autoris intelligere satis potuerim, utrum eorum præprimis adumbrare voluerit?

## CCCXXXI.

## LICHEN VERRUCOSUS. Tab. 18. fig. 2.

*Lichen foliaceus*, repens, lobatus, obtusus, viridi - glaucescens, desiccatione & glauco albens, scrobiculato - lacunosus, marginibus lobi-  
rum, scrobiculorumque verrucis farinaceo - pulverulentis obsitis; sub-  
tus ex albido rufescens, tomentosus, faccato - nodulosus.

*Lichen verrucosus* foliaceus, repens, subrotundus, sublobatus, crenatus,  
rugosus, verrucis farinaceis, scutellis minutis fulvis. *Hudson. angl. II.*  
*pag. 545.*

*Lichenoides pulmoneum* villosum, superficie scrobiculata & peltata. *Dill.*  
*tab. 29. fig. 114.*

*Lichen fronde lobata* obtusa, inferne scabra, maculis rotundis varia.  
*Haller. Stirp. helv. III. pag. 86. num. 1989.* *Leers. flor. herb. pag. 259.*  
*num. 960.*

*Pulmonaria verrucosa.* *Hoffman. plant. lich. pag. 1. tab. 1. fig. 1.*

*Lichen pulmonarius* arboribus adnascens, inferne obscurus, desuper lacu-  
natus ex glauco & cinereo flavescens, receptaculis florum rubris.  
*Michel. nov. pl. gen. pag. 90. ord. 21. tab. 49.*

Lichen scrobiculatus. *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 384. num. 1391.*

Per fagorum corticem late repente inveni. Folio est subcoriaceo, teneriore, quam Lichen caninus, amplissime diffuso, inordinate lobato, lobis latis, obtusis, rotundatis, margine sinuato-emarginatis. Id supra glabrum, coloris in irrorata planta cæsii, seu & e virore albido glaucescentis; desiccatum contra e glauco albens, cum levi flavedinis tintura, scrobibus, quantum quantum est, subhemisphærico-concavis (in aversa parte in totidem saccatos nodulos eminentibus) pustulatum, lacunosumque; & verrucis, seu glomerulis globulosis, farinaceo-pulverulentis, albidis, per loborum, scrobiculorumque marginalem ambitum, catenatorum unionum adinstar, obsumum. Infera autem, qua late per arbores repit, parte, ex albido magis magisque rufescens, dum ad intimas etiam nigrescat partes. Variolosam superficies hæc exhibet faciem, ob hemisphæricos, quibus undique seminata est, tumores, scrobibus partis superæ respondentes; estque (si calvescentes demas tumores) brevissimis, stipatissimisque tota ex villulis fulcescentibus tomentosa. Scutellas algæ hujus, ego nondum vidi; fugere hæ etiam attentionem Dillenii, Halleri, Scopoli, Leersiique; eas nihilominus, quamquam rarissime, vidit Michelius, & Hoffmannus etiam, concavo-orbiculatas, rariter per superficiem folii sparsas, sessilesque, & rubentes expressit margine cinctas subfuscō. Cavendum, ne cum verrucoso Weberi, & Hagenii confundatur. *a* Lichenem verrucosum exhibit tempore humido; *b* eundem exsiccatum.

## CCCXXXII.

## LICHEN CAPERATUS. Tab. 20. fig. 1.

*Lichen foliaceus, repens, centrifugus, sinuato-lobatus; subtus ater, lævis; supra e virore, sulphureo - flavens, rugosus, verrucosusque; scutellis sessilibus rubris, extus folio concoloribus, margine verrucosocrenatis.*

*Lichen pallide viridis rugosus margine undulatus.* Linn. spec. plant. pag. 1614. num. 41. Leers. flor. herb. pag. 260. num. 967. Pollich. palat. III. pag. 243. num. 1114. Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 386. num. 1394. Weiss. crypt. pag. 74. Allion. flor. ped. II. pag. 321. num. 2565. Gunner. flor. norv. II. pag. 80. num. 690. Schrank. flor. bav. II. pag. 521. num. 1516. Necker. del. gall. pag. 511. num. 24.

*Lichenoides caperatum rosacee expansum.* Dillen. tab. 25. fig. 97.

*Lichen fronde rotunde lobata, rugosa, inferne atra, & aspera.* Haller. III. pag. 89. num. 2005.

*Lichen pulmonarius saxis, & arboribus adnascens major, inferne nigricans superne e sulphureo cinereus.* Michel. pag. 89. ord. 20. num. 1. & 2. tab. 48. fig. 1.

In laxis retro Ziguñ, sylvam a pratis discriminantibus, alibique; passim & in arboribus quibusvis fructiferis, sylvestribusque, pruno, tiliis, quercubus, populis, betulis, pino, abiete, larice. Folio constat subcoriaceo, rosacee in orbem effuso, ambitum versus in lobos sinuosos subfrondentes, velut e centro diffugientes brevius, aut profundius partito, inferne (præter oras loborum brunescentes) atro, lævi, absque radiculis

repente, arcteque saxis, corticibusque adglutinato; supra semper ex aquo-  
so virore, sulphureo - flavente, primum glabro, lævi, & nitente, tandem  
cripato - rugoso, verrucisque farinaceo - pulverulentis dilutioribus exaspera-  
to; scutellis rarius conspicuis; dum tamen adhuc, frequentibus, primum  
parvis, sessilibus, per discum sparsis, subgloboso - umbilicatis, tandem in  
cupulas majusculas evolutis, concavitate saturate rubente, extus folio con-  
coloribus, verrucisque folii, præprimis ad marginem obsitis, qui primum  
integer, per eas crenatus evadit denique. a sicut juniorem absque verrucis  
leproso - pulverulentis & scutellis; b seniorem cum scutellis & verrucis.

## CCCXXXIII.

## LICHEN SAXATILIS. Tab. 20. fig. 2.

Lichen foliaceus, repens, centrifugus; frondibus laciniato - lobatis, lacu-  
nosis, apice retuso - subtruncatis; subtus ater, tomentosus; supra e vi-  
ridi glaucescens, albo - reticulatus, desiccatione cinereo - glaucescens;  
scutellis sessilibus fuscis.

Lichen imbricatus foliis sinuatis scabris lacunosis, scutellis folio concolori-  
bus. *Linn. spec. plant. pag. 1609. num. 19.* *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 388. num. 1396.* *Necker. del. gall. pag. 504. num. 12.* *Leers. flor. herb. pag. 255. num. 941.* *Pollich. palat. III. pag. 226. num. 1099.* *Gerard. gallopr. pag. 26. num. 1.* *Gunner. flor. norv. I. pag. 75. num. 210.*

Lichenoides vulgatissimum cinereo - glaucum, lacunosum & cirrosum. *Dill.*  
*tab. 24. fig. 83.*

*Lichen opere phrygio ornatus.* *Vaillant. bot. paris. tab. 21. fig. 1.*

*Lichen subviridis fronde semipinnata, rotunde lobata, lineis pulverulentis reticulata, inferne scabra carbonaria.* *Haller. III. pag. 90. num. 2011.*

*Lichen pulmonarius foliis eleganter divisis, inferne nigerrimis, & cirrosis; superne laciniatis ex glauco cinereis &c.* *Michel. pag. 90. ord. 22. num. 1. tab. 49. fig. 1.*

*Lichen laciniatus.* *Weiss. crypt. pag. 55. & 56.* *Hagen. plant. lich. pruss. pag. 68. num. 34.* *Schrank. flor. bav. II. pag. 520. num. 1515.* cum alienis e Dillenio synonymis.

Habitat maxima ubivis in copia quibuslibet in arboribus, nudisque paucim in saxis, asperibusque vetustis lepiariis, & tectorum assulis. Folio est tenero, juvenili in ætate concinne in orbem patente meras in frondes, plus minusve profunde, nec tamen ordinate, partito; frondibus depresso, repente, arcte corticibus saxisque hærentibus, simplicibus, compositis, decompositisque, & hinc aut simpliciter linearí-pinnatifidis, aut iterato ramosis; pinnis ramulisque linearibus, obtusis, subtruncatis, retusis. Eadem frondes e centro velut, peripheriam versus diffugientes, inferne atræ, atrisque & brevibus stipatissime obsitæ, tomenti adinstar, fibrillis; supra vero glabræ, ex scrobiculis introlabentibus lacunosæ, e glauco virentes, desiccatione e glauco albido-cinerascentes; rimis, cum tempore diffilientibus, tenerrimis, albido-pulverulentis, inque reticulum ordinatis, instratae. Nullas hoc in statu, sive ætate, in eo detegas scutellas. Longioris eæ fructus sunt temporis; postquam scilicet eluxuriatae, inque cespitem subimbricatim accumulatae frondes, meris pene undique lepræ farinaceo-pulverulentæ acervulis glomeratim obducuntur. Sunt hæ, dum adsunt, numero plerumque copiosæ, primum parvæ, subglobosæ, umbilico hiantes, sessiles,

ex-

extus colore folii; per marginis subinde evolutionem, ad majoris usque pisi increscunt magnitudinem subhemisphærico - concavæ, intus fuscæ seu bruneæ, extus, una cum margine, serius crenulato, folio conceolores. Longiore intra aquam maceratus tempore, totus Lichen hic ruber evadit, ipsamque eodem tingit colore aquam. Varietatem arboream, a saxatili (minus tamen recte) Weissius distinguit; sed quo utramque cum physode conjunxerit jure, non assequor. Sistitur in *a* in juvenili ætate tempore sicco centrifugus; in *b* adolescens, frondibus luxurians inordinate subimbricatis tempore sicco; in *c* ultima in ætate scutellifer tuberculisque leprolo-farinaceis obsitus, intra aquam humefactus, ut color recentis discernatur.

## CCCXXXIV.

## EPIMEDIUM ALPINUM.

Epimedium foliis caulem terminantibus, bitemnatis, oblongo - cordatis, ferrulato - ciliatis, pendulis; racemo florum laterali, petiolis humiliore.

Epimedium. *Linn. spec. plant. pag. 171. num. 1.* *Scopol. flor. carn. 2. tom. 1. pag. 111. num. 169.* *Allion. flor. ped. tom. 1. pag. 238. num. 871.* *Lobel. obs. pag. 176.* *Dodon. pempt. pag. 599.* *Tabernæmont. pag. 1159.* *Joh. Bauh. II. pag. 391.*

Elegantissimam stirpe in maxima olim in copia inveni in montibus sylvosis subalpinis Poschgovizensibus Carnioliae, supra Ossivinz, ditionis Gottschee; tum Goritiæ sub finem Martii, & initio Aprilis florentem in sylva Sabbotina e regione montis sancti trans Lisoncium; iterum in sylvosis

montibus supra Podigoram; denique & in umbrosis sylvis comitis de la Torre, per quas versus sancti Floriani itur fanum. Radix Epimedio est perennis, simplex, aut e pluribus composita farmentis, teretibus, lineam plus minus crassis, lentescentibus, horizontaliter sub terra repentibus, plures inter fibrillas recta descendentes. Ex ea, aut farmentorū gemmis, normaliter sese attollit ad duas tresve spithamas caulis simplicissimus, teretiusculus, vix lineam crassus, firmus, rigidus, viridis, adspersus primum pilis exstantibus, leviter hærentibus, brevique cadivis, demum nudus, glaber. Is ab una, semialterave a terra spithama, trifariam bis (terque interdum) divisus, folia bis (terve) ternata suspendit oblongo-cordata, acuta, per oras ferrulata, pilisque ciliata; tenera equidem; rigida nihilo minus, firmaque, eorum Hederæ adinstar; plana, reticulato-venosa, glabra, supra viridia, & nitentia; subtus pallidiora, quandoque & albido superinducta halitu, & opaca; suis de petiolis pendula; auriculis bælos rotundatis. Racemus florifer lateralis, ortus scilicet e caulis latere, duorum circiter distantia pollicum infra primam caulis in foliorum petiolos divisionem, tener, teretiusculus, pilis adspersus cadivis, erectus, vixdum foliorum terminalium altitudinem adtingens; respective pauciflorus; floribus laxe ordinatis, e bracteola exigua, ovato-acuta, rufa, longiuscule pedunculis, pedunculis tenerrimis, villosum, erecto-patentibus, ut plurimum unifloris, nonnullis tamen bi-aut & trifloris. Calyx tetraphyllus, foliolis ovato-oblongis, concavis ex viridi magis, magisque rubescientibus, tandem patentissimis, & brevi deciduis. Corolla, calyce tantillo major, tetrapetala, petalis oblongo-ovalibus, patentissimis, saturate & obscure rubris. Nectaria quatuor flava, cucullata, cucullo conico inani, seu fistuloso, basi hiante, petalis incumbente, nec erecto. Stamina quatuor, erecta, germen stringentia; filamentis subulatis, viridibus; antheris (earum-

que

que polline) flavis, erectis, oblongis, bilocularibus, bivalvibus, primum dissepimento triquetro - subulato extrorsum appressis; dein cum a basi apicem versus dehiscunt, & a dissepimento loculi secedunt, duplicatis, erectis, corollam excedentibus, ut qui hoc in statu florem videat, octo eundem habere crediderit antheras, basi binas quasque subcohærentes. Germen oblongo - subovatum, viride, nudum; in stylum abiens brevem viridem; terminatum stigmate simplice, truncato, umbilicato, papilloso, flavo; annello infra rubro fasciato. Pericarpium sive capsula siliquam format semilanceolatam, extrorsum gibbam, stylo persistente mucronatam, unilocularem, bivalvem, polyspermam, elastice dehiscentem, seminaque undique dispergentem, oblonga. Odor nullus. Tabernæmontani figura situm racemi florentis melius, quam ea Lobelii, Dodonæi, Bauhinique, repræsentat. Typographus vero Johannis Bauhini, figuræ Epimedii & Ononis spinosæ permutavit, quamlibet alterius jungendo descriptioni.

## CCCXXXV.

## SCORZONERA ANGUSTIFOLIA.

Scorzonera caule simplice subaphyllo, unifloro, basi villoso, sub flore in-  
crassato; foliis linear-i-lanceolatis, angustissimis.

Scorzonera caule simplice unifloro, foliis linear-i-lanceolatis. *Linn. maut.*  
*Il. pag. 457. Gmelin. flor. fibir. II. pag. 2. num. 2. tab. 1. Scopol. flor.*  
*carn. II. pag. 96. num. 950.*

Scorzonera alpina, gramineo folio angusto, flore luteo humilior. *Amman.*  
*ruth. pag. 151. num. 213. Ex Messerschmidio.*

Scorzonera humilis angustifolia tertia. *Cluf. hist. pag. 137. tab. 138.*

Tragopogonis species, sive scorzonera humilis angustifolia. *Joh. Bauh. II.*  
*pag. 1061.*

Scorzonera caule nudo, unifloro, foliis linearibus. *Haller. hist. I.* pag. 6.  
*uum. II.*

Alpium Praxensium, Sarlenſium, & Dürrensteinensium incola, in quibus medio Julii floret. Non est, ut quidam opinantur Scorzonerae illius humilis latifoliæ varietas. Sic existimavere Magistri in Arte Linnæus, Gmelinus, Gerardus in Flora Galloprovinciali, aliique; & qui unus instar omnium est Clusius, defæcatissimi vir judicii. Et qui biennis, cum perenni, eadem dicatur planta? Radice est Scorzonera hæc nostra angustifolia, digitum fere auricularem crassa, extus nigra; intus alba, albumque, ut stirps tota, plorans ex læfione lac. Fusiformis, jam recta in terram demergitur; jam, quod & ipsum observavi, aliqua saltem cum obliquitate in horizontem reclinis, subbrachiataque, ad superficiem terræ uni - bi - pluricepsve. Caulis (scapum dicere malleum, nam plerumque aphyllus est, folio interdum uno, rarius binis, iisque longe ab invicem remotis, tessiliamplexicaulibus, minoribus, angustissimis, obsitus) caulis inquam, singulis e capitibus simplicissimus, unam, semialteramve altus spithamam, erectus, teres, fistulosus, basin versus primum villosus, tum nudus, lævis, uniflorus, sub flore parumper incrassescens. Folia radicalia plurima, erecta, caulis primum altitudine, eundemque vaginarum instar canalicularum semiobvolventia, dum ab eodem tantisper exaltato, recedant erecto-patentia, planiuscula, saturate viridia, glaberrima, nullis, nisi per desiccationem apparentibus, iisque capillaribus nervulis longitudinalibus. Sunt ea perquam angusta, integrum vix unquam lineam lata, acutissima, linearia, nec nisi serius linearι - sub lanceolata; tam lata, ac Gmelinus sculpi fe-

fecit, vidi numquam. Flos terminalis, oblongus, erecto - patens, majusculus, saturate aurantiaco - flavus. Calyx oblongus, ex ovata basi subcylindraceus, imbricatus squamis foliaceis trium ordinum, ex ovata & gibba basi lanceolatis, glabris, viridibus, margine albido - membranaceis. Corollæ omnes hermaphroditæ, ligulatæ, calyce longiores, subæquales, tubulo capillari, exiguo, albo; limbo seu ligula elongata, linearis, plana, striata, apice truncata, quinquedenticulata, aurantiaco - flava, subitus sub apice purpurascens. Stamina quinque, brevissima, capillaria, alba; anthers in cylindrum connatis, longiusculis, flavis. Germen oblongum; stylus staminum longitudine, filiformis, albus, duo in stigmata exerta, reflexa, flava abiens. Receptaculum nudum, poris pertusum. Semina oblonga, striata, calyce breviora, coronata pappo sessili plumoso.

## CCCXXXVI.

## LATHYRUS NISSOLIA.

*Lathyrus pedunculis unifloris; foliis simplicibus, alterne sessilibus, linearilanceolatis, longissimis; stipulis acicularibus brevissimis.*

*Lathyrus pedunculis unifloris; foliis simplicibus; stipulis subulatis.* Linn.  
*spec. plant. pag. 1029. num. 2. Scopol. flor. carn. 2. tom 2. pag. 61;*  
*num. 888. Necker. del. gall. pag. 306. num. 4. Pollich. palat. II. pag.*  
*299. num. 676. Allion. flor. pedem. I. pag. 329. num. 1217. Haller. hist.*  
*I. pag. 190. num. 441.*

*Nissolia vulgaris* Tourn. seu *Lathyrus angustifolius* *erectus*, folio singulare, sine capreolis. *Lindern. hort. alsat. pag. 73. tab. 3. bene.*

Segeti copiose mixtus, mense Mayo florere solet in agris; præprimitis Goritiæ, Bertoibam inter, & sanctum Petrum. Radice est annua, tenera, gracili, filiformi, fibrillas laxe sparsas demittente, albida; e qua caulis vix-dum spithamalis recta assurgit gracilis, simplex, nec ramosus, tetragonus, glaber, viridis, subintortus, foliis alterne obsitus, simplicissimis, respecti-ve prælongis, sessilibus, inter stipulas aciculares, brevissimas, binas, planis, lineari-lanceolatis, integerrimis subtiliter secundum longitudinem ner-vosis, erecto-patentibus. Flores simplicissimi, papilionacei, e pedunculo axillari, erecto-patente, aphylllo, longiusculo, nec tamen folium adæ-quante, subnutantes. Calyx tubulo-turbinatus, monophyllus, glaber, viridis, quinquedentatus, denticulis binis superioribus sub vexillo brevio-ribus, cæterum striis percursus decem. Corolla saturate rubra, papilionaceo-tetrapetala; vexillo reliquis majore, magisque ampliato, emarginato, sursumque reflexo. Alis oblongo-ovatis, erectis, carina longioribus, ungui longiusculo, albo insistentibus, hamoque brevi, subulato, pariter albo, de more gentis, appendiculatis. Carina compressa, navicularis, ad-scendens, acute rostrata, unipes, brevior alis. Stamina decem diædpha, seu simplex, & novemfidum, alba; antheris rotundis aurantiaco-flavis. Germen lineare, compressum, pubescens. Stylus planus, adscendens, apicem versus latecens; stigmate subtus villosulo. Legumen nutans, lineare, compresso-cylindraceum, pubens, uniloculare, bivalve, stylo recto terminatum, polypermum. Semina globosa. Cirri, seu capreoli nulli; calyx tamen basi bracteola exigua subulata appendiculatus.

## CCCXXXVII.

## LATHYRUS ANGULATUS.

*Lathyrus pedunculis unifloris*, sub flore aristatis; cirris diphyllis; foliolis linearis-lanceolatis; stipulis semi hastatis, angustissimis.

*Lathyrus pedunculis unifloris*, aristatis; cirris diphyllis, foliolis linearibus.  
Linn. spec. plant. pcg. 1031. num. 8. Allion. flor. ped. I. pag. 330.  
num. 1221. Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 62. num. 890. Gerard.  
gallopr. pag. 495. num. 6.

*Lathyrus foliis gramineis, petiolis unifloris, setigeris; siliquis longis, erectis.* Haller. hist. I. pag. 190. num. 440.

Habitat recentes inter segetes magna in copia, Tergesti, alibique. Goritiæ jam medio Aprilis florens in Tusculano, Prestau &c. Radix per quam gracilis, capillaceis laxe obsita fibrillis, albida, annua; caulem attollit simplicissimum, gracilem, tetragonum, glabrum, viridem, raro spithamalem, erectum, alternas per vices foliis semper binis & binis, contiguis, apicique petioli communis, brevis, & tricorni (cirrum Linnæus appellare videtur) absque proprio insistentibus petiolo, obsitum. Sunt foliola illa multo quam communis longiora petiolus; unius, duorumve pollicum; admodum angusta, lineam plus minus lata, vere graminea, & linearis-lanceolata, integerrima, plana, glabra, subtus nervis percurta quinque tantisper elevatis, apice brevem in aristulam excurrentia, erecto-patentia, lejuncta basi capitulo, seu cirro admodum exiguo, linearis-subulato, recto, in quem petiolus communis abit. Stipulae, quæ ad basin utrinque petioli adstant, angustissimæ, semi hastatæ, hamo utroque linearis-

O o

lan-.

lanceolato, plano, acutissimo, ad obtusissimum connatis angulum, intermediae cuspidula aciculari horizontali brevissima; superiore inferiorem triplo, ipsumque nonnumquam communem petiolum longitudine, excedente. Flores solitarii, simplicissimi, pedunculati, subnutantes; pedunculo axillari, foliis triplo breviore, erecto - patente, aphylllo, ad aliquam sub flore distantiam in aristam, seu verius setam viridem, tereti - subulatam, calycis longitudine, libere fluitantem, excurrente. Calyx monophyllus, turbinato - tubulosus, profunde quinquedentatus, dentibus lanceolatis, binis sub vexillo, haudquaquam conniventibus; binis latera alarum stipantibus; uno sub carina, reliquis longiore; villus in viridi calyce, ut in tota planta, nullus, decem contra striæ elevatæ (alternis longioribus) omnem ejusdem percurrent longitudinem saturatores. Corolla papilionaceo - tetrapetala, coccinea, basin versus albescens. Vexillo obcordato, apice lateribusque sursum reflexis, petalis reliquis majore, amplioreque. Alis oblongo - obovatis, versus vexillum incurvis, in unguem basi longiusculum album decurrentibus, hamoque pariter albo, & subulato appendiculatis. Carina navicularis, versus vexillum incurva & ascendens, acutiuscula. Stamina ut in Nissolia. Sic & germen, stylus, stigmaque. Legumen linearis - lanceolatum, tereti - compressiusculum, subfalcatum, leviter pubescens, acumine terminatum, uniloculare, bivalve, polyspermum, seminibus lentiformi - angulosis.

## CCCXXXVIII.

## SAXIFRAGA COTYLEDON.

Saxifraga foliis radicalibus aggregatis lingulatis cartilagineo-ferratis, caule paniculato. *Linn. spec. plant. pag. 570. num. 1.* *Scopol. flor. carn. 2. tom. 1. pag. 291. num. 489.* *Gunner. flor. norv. I. pag. 12. num. 13.* *Gerard. gallopr. pag. 421. num. 1.* *Oeder. flor. dan. tab. 241.* in horto culta. *Allion. flor. ped. II. pag. 68. num. 1516. & 1517.* *Jacq. flor. austri. V. pag. 41. tab. 438.*

Aizoon ferratum. *Cord. pag. 92.* cum duplii, optimaque figura in aversa pagina.

Sedum ferratum. *Dodon. pempt. pag. 132.* *Joh. Bauh. III. pag. 689.*

Saxifraga foliorum ora cartilaginea caule triplicato ramoso, petalis immaculatis; item — — petiolis paucifloris, petalis punctatis. *Haller. hist. I pag. 419. num. 977. & 978.*

In omnibus nostris alpibus frequentissima. Nuperrim Hallerus, Jacquinius, Allionius, & Schrankius in flora Bavarica, ex unica, species constituerunt duas: veneror tantorum autoritatem virorum; veritatem nihilominus, multiplice sultam experientia, nulli, vel amicissimæ, posthabeo autoritati. Si quis, in alpibus certe plurimis, frequentissimeque versatus sum; millies, curiosissimeque elegantem hanc examinavi plantam, vel ideo cumprimis, quod pro duabus propositam vidi sp̄ciebus. Ingenuus fateor interim, diversitatis specificæ, non duas duntaxat inter, sed quinas omnino inter varietates ejusdem, inveni nihil. Vidi, possideoque summis e Carinthiæ alpibus specimenâ duos vixdum alta pollices, floribus racemo-

sis, pedunculis unifloris (tum bi- & trifloris etiam) petalis immaculatis, foliis oblongo-obovatis; alia iisdem cum foliis, & petalis, at caule paniculato; rursum alia duplo, triploque altiora, cum caule quandoque racemoso, alias paniculato, & petalis immaculatis, at foliis linearibus pollicaribus angustis, fine obtuso, rotundato. Alia iterum antecedentibus quoad omnia simillima, multo tamen altiora, cum foliis linearibus tripollicaribus, lineam duntaxat latis; porro specimina, immaculatis cum petalis, caule paniculato, foliis elongato-lingulatis, tres certe longis pollices, & lineas latis quatuor, apice rotundatis. Goritiæ in ascensu anheloso montis sancti ex Lisoncii sinistro littore prope Salcanum, specimina legi mense Mayo, cum foliis linearis lingulatis, angustis, caule racemoso, pedunculis unifloris, petalis rubro-guttatis; in alpe contra Lithopolitana ad S. S. Primum & Felicianum simillima Goritiensibus, attamen cum caule partim racemoso, partim paniculato. In Pontebanis denique caule paniculato, floribus rubro-guttatis, foliis lingulatis, longissimis, 4 aut & 5 lineas latis. Non igitur speciem mutant immaculata, aut sanguineis guttata punctis petala; utraque & in racemoso, & in paniculato inveni caule; neque paucitas, aut major ramorum, peduncularumve uni-aut multiflororum copia; rarissime namque caules, præcise racemosos, & qui pedunculos solummodo habeant unifloros, reperias; ipse, quæ præ cæteris pro *Saxifraga Aizoon*, militant *Cordi*, *Jacquinii*, & *Seguierii* (veron. I. pag. 448. num. 4. tab. 9. fig. 1.) figuræ, nonne pedunculis sunt bi-triflorisque? an aliud in rigore ad paniculam requiras? Folia non raro ipse inveni pluribus in speciminibus oblongo-obovata; scilicet prout in sediformi collecta sunt rosula; rosulam dissolve, & folia ejus singula linearis-lingulata videbis: quid jam refert, angustiora sint? aut contra plures lata lineas? breviora/ item? aut longiora? In varietatum hæc numero habeo omnia; varietates autem ipsas stationi tribuo,

nunc

nunc propitiæ, alias novercæ, loco, jam humiliori, jam elevatō magis; a sole illustrato alias, alias sylvestri umbroso ad latera rupium; perinde videlicet ac ipsam caulis majorem, minoremve altitudinem; tum colorem jam viridem, jam ex viridi-rubentem, aut guttis faltem rubris varium; ex toto denique obscure rubrum. Villorum viscidorum (fallaci minus vel in eadem specie, nota) meminisse non attinet; specimina possideo, & ejus, quam Aizoon nunc dicunt caule sub-aut vere racemoso, & illius, quæ pro Cotyledone semper est habita, cum & sine viscidissillis villis in calyce, cauleque. Quod itaque alteram ab altera discriminare specifice, vereque posset solum, capsula foret, ut Hallerus, inter omnes unus, adnotavit, bilocularis in Saxifraga Aizoon, si ea Saxifragæ Cotyledonis paniculato caule, ut autores prætendunt omnes, unilocularis omnino esset; studiose ea de causa examinavi utramque, & fatendum est, in utraque bilocularem esse, loculis dissepimento transverso, rostris contrario, non parallelo, discriminatis. Momenta si hæc non sufficient, duas, pace mea, pluresque ex una quisque species, faxit. Cotyledonis descriptio hæc est: Radix perennis, teretiuscula, filiformi-subfusiformis, extus nigra, terræ superficiem versus in plures divisa ramos, brachiave; e quibus, velut totidem capitibus, rosulas foliorum radicalium sediformes, densum in cespitem aggregatas profert quotannis, altero primum anno cauli-floriferosque. Ea folia subglobosum primo in glomum imbricata connivent, dum in apertam denique horizontaliter pateant rosam, arcuatim etiam cum tempore deorsum incurva; suntque crassiuscula, firmiuscule carnosa, oblonga, minoribus in speciminibus, velut oblongo-ovata, re tamen vera, ut & in majoribus exemplaribus, linearis-lingulata, niterdum angustissima, tres, quatuorque alias lata lineas, fine plerumque obtuso, rotundato, glabra, nitentia, depresso-convexiuscula, viridia, & ex virore subglaucescens, basin versus, ut & tota in-

infra in superficie convexiuscula, rubra; oris marginalibus ferratis; ferris infimis, intra rosulæ glomum consepultis, pilofo - ciliatis; reliquis nescio quem humorem viscidum exsudantibus, qui aëre induratus, albam in lepram, abit, marginemque foliorum omnem fimbria cartilaginea alba ita obducit, ut ne denticuli quidem ferraturæ amplius appareant. Quavis suo tempore ex rosula, normalis assurgit caulis, teres, firmus, viridis, punctis serius rubris guttatus, dum totus non raro obscure rubescat; estque una cum florum pedunculis, calycibusque, plus minus, capitato - viscidis per omnes varietates obsitus villis, citius in eorum nonnullis, quam reliquis, cadivis. Eum gracilem persæpe, vixque duobus, tribusve altiorei pollicibus inventias apicem versus vere aut certe subracemosum, pedunculis videlicet simplicibus, erecto - patentibus, laxe sparsis, uni - bi - triflorisque, frequenter nihilominus ad unam, duasque assurgentem spithamas, calami crassitudine, multiplicata florum panicula terminatum. Folia floresque singulis in varietatibus, ejusdem cum proportione indolis; illa laxe per caulem, squamarum adinstar, sparsa, sessilia, erecta, nihil a radicalibus, dempta magnitudine, diversa; minora in minoribus speciminibus, angustissimaque; in majoribus paululum longiora, latioraque; per marginem semper manifeste serrulata, interdumque præterea lepra cartilaginea alba, ferraturæ creñas occupante, superinducta. Hi (flores) calyce monophyllo, campanulato - semiquinquefido, infra sui parte germini adnato, viridi, & e viridi interdum obscure rubro, primum villis capitato - viscidis obsito, serius decalvato; denticulis limbi subovatis, erecto - patentibus, corolla duplo brevioribus. Petala quinque obovata, integerrima, patentissima, calyce magiora, nivea, venis tribus longitudinalibus percursa, nunc immaculata, alias punctis saturate rubris basin versus creberrimis guttata. Stamina decem corolla breviora, subulata, alba, antheris flavis, subrotundis. Germen ovato-

trun-

truncatum, calycis campanulæ connatum; placenta plano-orbiculari, flava, viscida, acumine brevi centrali, serius protuberante, instructa, quod duos dein in stylos divergentes finditur, stigmate subcapitato terminatos. Capsula oblongo-subovata, birostris, rostris divergentibus, in omnibus varietatibus, bilocularis, dehiscens transverse inter cornuum seu rostrorum apices; loculis dissepimento pariter transverso ab invicem segregatis, polyspermis; seminibus parvis, oxyato-compressis, nigris, dissepimento utrinque hærentibus.

## CCCXXXIX.

## ARTEMISIA HUMILIS.

*Artemisia fruticola*, foliis supradecompositis, subpinnato-multifidis; foliolis linearisubsetaceis; floribus elongato-racemosis, subglobosis, brevi dœ pedunculo pendulis, secundis.

*Abrotanum odoratum humile*, "dense fruticosum. *Lobel. obs. pag. 444.*  
*Dodon. pempt. pag. 22.*

*Abrotanum cum pulchris corymbis. Joh. Bauh. III. part. 1. pag. 194.*

*Artemisia rupestris. Scopol. flor. carn. 2. part. 2. pag. 146. num. 1038.*

Raram stirpem in monte Slivinza supra lacum Zirchnizensem, tum longe majore in copia in montibus Ossigianensibus (Ozlean), item in monte Sancto prope Salcanum, denique Goritiæ in saxosis lateris lævi Lisoncii ad molas Tabacarias inveni, atque ante triginta annos cum clariss. Scopolio communicavi, qui pro *Artemisia rupestris* L., minus tamen recte, proposuit. Linnæus, nisi cum Art. Abrotano confuderit, non habet. Floret ea

ea mense Augusto. Multos radix eadēm, perennisque, & lignescens, sūti ad instar forma descendens, radiculisque fibrillosis undique obsita, effundit caules; unius, semialteriusque longitudine spithamæ, lineam circiter crassos, in lignum sere basi abeentes denique. Hi inferne subprocumbentes, viminarum instar virgarum recti deinceps assurgunt; simplicissimi partim & ex axillis ramosi; ramis simplicibus, erectis, caulem principalem substringentibus, una cum caule in longiusculum florum racemum desinentibus. Sunt ii ex terete angulosuli, striative; primum virides, & ex brevi, appressaque lanugine incanescentes, qua subinde basin versus sese deperdente, obscure ex atro-rubent decalvati. Folia versus inferiores partes plurima, eaque alterna, supradecomposita, seu ex petiolo subpollicari angusto, linearī, supra planiusculo, inferne striato, & erecto-patente, bis-terve diviso, subpinnato-multifida, foliolis brevibus, linearī-subsetaceis, primum ex lanugine appressa incanis, viridibus tandem, & nudiusculis. In superioribus, per caulis, ramorumque racemum, folia non alia, quam simplicia, linearia, quatuor, quinqueve lineas longa, dimidiā vix lineam lata, erecto-patentia, ex lanugine incano-virentia, pedunculis florū ter, quaterque longiora. Flores in racemum terminalem, simplicem, sex septemve pollices longum ordinati, singuli ex singulis foliorum superiorum, (aut si malis, bracteolarum?) axillis, brevi de pedicello, in unam omnes partem nutantes, globosi. Calyce communi sphæroidico, squamis linearī-lanceolatis, duorum triumve ordinum, conniventibus imbricato, primum una cum pedicello, dense lanuginoso, & albo; cum tempore ex albo, viridiique vario, dum scilicet calycinæ squamæ ex parte decalvatæ, dorso medio longitudinale virunt, scariose-membranaceus vero margo, ex residua lanugine albidocineraseit. Corollulæ pluriæ flosculoæ, calyce tantillo altiores, ut nonnisi capitulo florali superficiem convexam concilient, omnes tubulosæ;

fœ-

fœmineæ in radio paucæ breviores, albidæ, tubulo angustissimo, capillari, limbo compresso, brevissime bi-trifidove, staminibus, antherisque nullis; stylo capillari, albo, corollæ longitudine; stigmate exerto, bifido, luteolo. Hermaphroditæ in disco, tubulo albo, limbo urceolato - quinquefido, saturat e flavo; staminum filamentis quinque capillaribus, albis, antheris in cylindrum connatis saturate flavis; stylo albo, stigmate bifido, flavo, exerto. Receptaculum lanuginoso-tomentosum. Germina utrisque æqualia, parva; idemque de utrorumque intellige seminibus nudis, oblongis, parvis. Odor amœnus, fortior eo Artemisiæ Abrotani.

## CCCXL.

## VIOLA ZOYSIL. Tab. II. fig. I.

*Viola acaulis*, scapo subtriquetro striato unifloro; flore maximo, nutante, flavo; calcari subulato, cæruleo, petalis subæquali; foliis radicalibus ovatis crenatis petiolatis; stipulis lanceolatis integerrimis.

*Viola montana lutea grandiflora*. *Scheuchz. itin. alp. I. pag. 51.* neque tam *Viola flammea Dalechampii*.

*Viola montana lutea subrotundo crenato folio*. *Barrel. tab. 691.*

Pulcherrimam alpium nostrarum stirpem Illustrissimo Baroni Carolo de Zoys debeo, qui in Carnioliae alpibus, Carinthiæ conterminis, mense Majo inventam, vivam adhuc una cum terra transmisit, pro ea, qua in me est comitate, benevolentiaque. De Barrelierii planta dubium potest esse nullum; sed nec de Scheuchzeri; quantum ex adjecta præstantissimi viri paraphrasi constat. Minus placet, quod Violam Dalechampii flammeam

luteam citat; stirpem, a Barrelierii, diversissimam. Ut verum fatear, nullus dubitassem, Violam hanc nostram esse cum *Viola Linnæi grandiflora* (mant. I. pag. 120. num. 25.) unam eamdemque; at cauleſcentem dicit! in Adnotatione præterea: altam! ramosam! foliosam! denique stipulas pinnatifidas! &c. Diu etiam hærebam dubius, utrum cum Halleri *Viola* num. 566. tab. 17. conjungereim nostram? congruebat non male figura; at semi-pinnatas adstruit stipulas! & cæruleum floris colorem! & cum calcarata, grandifloraque simul *Linnæi Viola*, aliisque, nescio quibus? conjungit! Est *Violæ nostræ radix perennis*, alba, admodum gracilis, teres, filiformis, horizontaliter sub terra quaquaversum discurrens, fibrillis per intervalla demissis uberioris radicata, iisque compositis capillaceo-ramosis. Prolifica, velut e gemmis, complura quotannis in superficiem terræ erigit capita, ab invicem remotiuscula, e quibus complura inter folia, unus, alterve assurgit scapus uni-aut bipollicaris, simplicissimus, nudus, obscure triquetus, striatus, uniflorus, bracteolis binis exiguis oppositis, ovato-acutis, obsolete albidis, longiore a flore distantia, obsitus, coloris dilute viridis. Folia radicalia plura, multo petalis minora, ovata, obtuse per oras crenata, nuda, supra saturate viridia, subitus dilutiora, longiuscule petiolata, petiole triquetro; basi stipula utrinque obtuse lanceolata integerrima appendiculato. Flos terminalis, nutans, maximus, flavus. Calyce pentaphyllo, nudo, viridi; foliolis ovato-lanceolatis, subæqualibus, medio affixis, apicem versus acutis integrimis, basin versus obtusis, lateſcentibus, per oras serratis; infimo (supremum locum occupante) sursum incurvo & reflexo; reliquis rectis. Corolla pentapetala; petalis binis infimis (summum locum occupantibus) amplis, obovatis, flavis, immaculatis, brevi obliquo & albo unguiculo infistentibus; binis, ovatis, paulo tamen minus amplis, basi in unguem brevem rectum canaliculatum & albidum decurrentibus, ad

fau-

faucem transverse albido - barbatis seu villoulis, lineolaque brevi una, aut tribus nigris, pictis; summio (infimum locum occupante) retuso - obcordato, flavo, ad faucem saturatiore, lineolisque tribus ad quinque nigris notato, basin versus strangulato, & in unguem rectum canaliculatum decurrente, abeuntem in nectarium corniculatum fistulosum subulatum rectum cæruleo violaceum, petalorum longitudine, calycis inter foliola sursum versus prominens. Stamina quinque brevia, calyci insidentia, laminularum ovato - acutarum, extrorsum gibbarum instar, binis in calcar nectarii subintrantibus. Antheræ cordato - biloculares, albido - flavescentes, per oras ciliatæ, apice appendiculatæ laminula membranacea scariosa sagittata rufo - spadicea, in conum pyramidem circa germen leviter cohærentes. Germen viride ovatum nudum; stylo brevi, antherarum longitudine; stigmate capitato - infundibuliformi, extra antheras prominente. Capsula oblonga, ovato - subtrigona, unilocularis, trivalvis, valvulis navicularibus, a summo ad basin dehiscentibus, patentissimis, polyspermis. Odor nullus.

## CCCXLI.

## BRASSICA ALPINA.

Brassica foliis caulinis cordato - sagittatis, semiamplexicaulibus; radicalibus ovatis, repando - subcrenatis, longe petiolatis; petalis linearri - obovatis, erecto - patentibus.

Brassica foliis caulinis cordato - sagittatis amplexicaulibus; radicalibus ovatis; petalis erectis. Linn. mant. I. pag. 95. num. 12. Pollich. palat. II. pag. 248. num. 640. Allion. flor. ped. I. pag. 266. num. 968.

Brassica alpina perennis. Rupp. flor. jenens. pag. 75.

P p 2

Tur-

Turritis foliis glaberrimis curvis rotundis petiolatis; superioribus amplexicaulibus sagittatis obtusis. *Haller. hist. I. pag. 197. num. 454.*

Frequens mense Majo in montibus *in der Capl* ad Mariadorn; ex Carnioliae quoque montibus misit Illustrissimus de Zoys. Radix perennis, teres, subflavescens, horizontalis, crebras, longasque recta demittit, fūnium instar, fibras. Ex ea unus (pluresve interdum) multa inter, ut dicimus radicalia folia, assurgit caulis teres, glaber, ex viridi-glaucescens, ad duas tresve & amplius spithamas, apicem versus floribus in racemum ordinatis onustus; simplicissimus, nec ramosus; foliis alterna per intervalla obſitus ſeffilibus, ex cordata bafi lanceolatis, ſemiamplexicaulibus, integerimis, erēcto-patentibus, glabris, viridi-glaucēſcentibus, auriculis baseos liberis obtusis: radicalibus contra obtuse ovalibus, integris, per oras obſcure ſubrepandis, & ipsis glabris, concoloribusque, subtus tamen cum tempore ex rubro-subviolaceis, longe ſemper petiolatis. Flores, ut innui, in racemo terminali, ſimplices, pedunculati, erēcti, iis Turritidis ſimiles. Calyx tetraphyllus, oblongus, erēctus, corollis duplo fere brevior, foliis linearibus, obtusis, introrsum longitudinaliter concavis, extus glabris primum viridibus, tum albido-luteolis, demum cadiuis, binis oppofitis bafi nonnihil gibbis; ex albido quoque aquoſiſſime rubefcere vidi. Corolla tetrapetala, alba, ſimillima ejus, Turritidis hirsutæ, aut & glabræ, petalis ſciliacet linearī-ebovatis, erēctis, cum tempore erēcto-patentibus. Stamina ſex tetradyerna, ſubulata, erēcta, binis oppofitis calycis longitudine, brevioribus; reliquis quatuor altioribus, calycem, non petala, excedentibus. Antheræ oblongæ, acutæ, bafi ſubcordatæ, flavæ. Germen lineare, nudum; stylus vix ullus; stigma obtuſiſſimum. Siliqua longa, plusquam bipollicaris, nuda, erēcta, bilocularis, bivalvis, linearī-subter-

tra-

tragona, compressiuscula; valvulis dissepimento parallelis, ab imo sursum dehiscentibus; polysperma.

## CCCXLII.

## ANCHUSA ITALICA.

Anchusa foliis ovato-lanceolatis; bracteis linear-lanceolatis, flore minoribus; squamis faucis penicilliformi-villosois.

Anchusa foliis lanceolatis undulatis, summis accuminatis, squamulis faucis penicilliformibus. *Linn. syst. vegetab. edit. 14. pag. 186. num. 3.*

*Cirsium italicum. Fuchs. pag. 343. bene.*

*Buglossum angustifolium. Lobel. obs. pag. 310.*

*Anchusa Alcibiadion. Dodon. pempt. pag. 629.*

Copiosa Tergesti; item prope Zauly in pratis depressis; ac versus salinas Servulæ, florens Majo & Junio. Numquam apud Linnaeum invenire poteram. Exstat nunc in decima quarta Editione per Murrayum. Planta admodum elegans, distinctissima, facie externa, ab Anchusa officinali, & angustifolia L. Haec ex viridi albido-incanescunt, villis albidis decumbentibus hispidulis obtectæ; dum illa saturate nigro-viridis, villis undique hispidis subulatis albidis exstantibus obsita. Radicem habet perennem, fusiformem, digitæ pollicaris crassitudine, plura interdum in brachia divisam, radiculis fibrosis laxe sparsis obsitam. Uno, pluribusve e capitibus singulis, simplicesque ad duas tresve altitudinis spithamas normaliter attollit caules, ex alternis axillis, semel iterumque ramosos, racemoso-subcorymbosos; una cum ramis tereti-subangulosos, firmos, saturate velut e nigro

virides, villis longiusculis, rigidulis, albidis exstantibus hispidos, foliisque per alterna intervalla obfitos sessilibus, ex ovata basi lato-lanceolatis, integris, erecto-patentibus, saturate pariter e nigro viridibus, iisdemque cum caule villis, copiose utrinque exstantibus, adspersis. Folia radicalia caulinis similia, longiora tamen, ac in petiolum velut decurrentia. Rami erecto-patentes, longiusculi, florescentiæ tempore subcorymbosam cauli faciem conciliantes, axillares, foliis inferne aliquot alternis obfiti, cæterum ad apicem usque in florum racemum abeuntibus. Racemis primum extrorsum in spiram convolutis, floribus stipitate addensatis, imbricatisque; tum evolutione diductis, erectisque, floribus simplicibus, ex alternis bractearum axillis pedunculatis, heteromallis, sive secundis, laxè inter se ordinatis, & erectis. Bractæ (seu florum foliola) hac in specie, angustæ, linearilanceolatae, hispido-villoso, erectæ, floribus breviores. Pedunculi florum teretes, hispido-villosi. Calyx quinquepartitus, erectus, longior pedunculo; foliolis angustis, linearilanceolatis, erectis, semipollicaribus, nigro-viridibus, hispido-villosis. Corolla monopetala, infundibuliformis, major, quam in Anch. officinali; tubo cylindraceo, albo, calycis longitudine; limbo quinquepartito, erecto, patente, saturatissime cæruleo-violaceo; laciniis obovatis, integerrimis. Faux clausa squamulis quinque, convexo-conniventibus, penicilliformibus ex villis albis stipatissimis. Stamina quinque brevissima, inserta interno tubi corollæ parieti sub fauce; antheris oblongis, flavis, tectis. Germina quatuor in fundo calycis sessilia; stylus calycis longitudine, filiformis; stigmate obtuso, quam stylus crassiore, emarginato. Semina quatuor nuda.

## CCCXLIII.

## HORMINUM PYRENAICUM.

Horminum foliis radicalibus obtuse ovatis, rugosis, crenatis, longe petiolatis; scapo aphylo; floribus interrupte subverticillatis, secundis, nutantibus.

Horminum foliis ovatis obtusis; caule nudo. *Linn. spec. pl. pag. 831. num. 1. tum mant. II. pag. 413. Haller. hist. I. pag. 106. num. 243.*

*Melissa pyrenaica. Scopol. an. obs. 2. pag. 55. Jacq. hort. vind. II. pag. 86. tab. 183.*

*Gallitrichum folio rotundo, flore magno violaceo. Joh. Bauh. III. part. 2. pag. 313.*

Maxima in copia in alpibus Praxensibus, Sarlensibus, Dürrensteinensibus, florens Julio. Linnaeus plantam vivam numquam vidit; ex sicco exemplari, in quo labium calycis superius forte quadrifidum invenit (& ego exemplaria ejusmodi complura possideo ex alpibus) characterem quondam genericum (quem tamen in editione generum novissima Vien. an. 1767. corredit) concinnavit. Scopolius nomine Melissæ, Tournefortio Magnolioque usitato, excitatus, cum reapse calycem Melissæ conspexisset, Melism in secundo Observationum anno dixit, quem Jacquinius dein secutus est. Suafit itaque in Mantissa altera Linnaeus, ut inquireretur uberior, an omnino Melissæ associata stirpe hac nostra, Hormini expungendum penitus foret genus? Sumpsi id mihi in alpibus constitutus, in quibus non alia, majore in copia, undique cernebatur planta. Examinavi singula: calycem, corollam stamina, antheras &c. Calycem Melissæ inveni; corollam contra Digitalis; fila-

filamenta fere ut in Wulfenia, arcuatim ad se mutuo conniventia; antherarum par singulum in crucis connivens formam, plane ut Glecoma habet. Anno ergo cum calycista Magnolio calycista & ipse fierem? & cur non collista potius? Bonos, fidosque duces Linnæum, Hallerum, Murrayum, equidem haud deseram. Nititur Horminum radice perenni, terete, fusiformi, digitum plus minus auricularem crassa, simplice, aut et brachiata, fibris iterato fibrillosis semper vage obsita, extus ex fusco-nigra. Scapus (neque enim caulem proprie dixero, ob unum, alterumve interdum bracteolarum subradicalium par, quarum ex axillis nulli enascuntur flores) Scapus, inquam, ex ea unus, pluresve, ab una, ad duas spithamas altus, normalis, tetragonus, saturate primum viridis, tum obscure atro-purpurascens, villosulus; foliis, si florum demas bracteas, regulariter obsitus nullis, plurima inter de radice egredientia assurgit folia. Hæc oblongo-aut rotundato-ovata, obtusa, obtusisque per marginem dentibus crenata, longiusculo, crassoque insistunt petiolo, supra canaliculato, subitus teretiusculo, striato, ad oras ciliato-villoso; suntque crassiuscula, brassicarum adinstar supra bullato-rugosa, obscure viridia; subitus nervosa, pallide, aquoseque virescentia; utrinque ad sensum glabra, utut minimi microscopio detegantur villuli. Flores majorem scapi occupant partem, ex oppositarum axillis bractearum interrupte subverticillati; tribus ordinario utrinque (in inferioribus & quatuor interdum, ut & binis duntaxat, simplicibusque in superioribus) quavis ex axilla, breviter pedunculatis, omnibus unam eamdemque in partem tantisper nutantibus. Bracteæ foliaceæ, virides, villosulæ, oppositæ, sessiles, ex ovata basi longiusculæ acuminatæ, supra concavæ, dorsum tandem deflexæ; pedunculi teretes, calyce breviores, villosuli, ex viridi demum atro-purpurascentes. Calyx monophyllus, tubulo-so-turbanatus, campanulatus, ex viridi tandem atro-purpurascens, striis elevatis,

ciliato - villosulis, minimum decem, percursus, limbo acute subbilabiato; labio superiore communiter acute tridentato (etiam sæpiuscule quadridentato) planiusculo, dentibus trigono - subaristatis, æqualibus, sursum recurvis; labio inferiore profunde bidentato, compresso, dentibus lanceolato - subaristatis, rectis, oblique adscendentibus, sæpiuscule cruciformiter decussatis. Corolla saturate cærulea, nec ex rubro verum cæruleo - violacea, magna, monopetala, calyce duplo longior, ampliorque, ex brevi, albo - que cylindraceo tubulo, digitalis adinstar, inflato - campanulata, nutans, superne depresso - planiuscula, striis tribus elevatis saturationibus percursa, inferne gibbo - ventricosa; fauce ampliter hiante, limbo breviter bilabiato; labio superiore breviore, recto, summum obtusissime subfornicato, circumscriptione rotundato, brevi tamen obtusaque crena inciso, & bifido, lacinulis rotundatis; inferiore trilobo, patente, lobis rotundatis, intermedia majore, repando - emarginata. Stamina quatuor didynama, minime approximata, paribus imo ab invicem remotis, labio corollæ superiore breviora, campanæ corollæ interne affixa; filamentis filiformibus, ex albo aquose subcærulescentibus, binis quibusque per arcum ad se mutuo conniventibus. Antheris linearí - subincurvis, ex æquilibrio versatilibus, nigro - violaceis, polline albo, per paria in crucis formam conniventibus. Germina quatuor in fundo calycis sessilia, nuda; stylus filiformis, longitudine labii superioris corollæ, ex albo aquose subcærulescens; stigma bifidum, cæruleum, per crenam superioris labii prospiciens, lacinulis brevibus, inæqualibus, divergentibus, acicularibus. Semina quatuor, nuda, in perianthii fundo, rotundo - subtriquetra, fusca. Odor nullus. Sapor aquosus insipidus oleraceorum.

## CCCXLIV.

## CARLINA CORYMBOSA.

Carlina caule multifloro; ramis axillaribus alternis erecto-patentibus, subcorymbosis; squamis calycinis intimis radiantibus, lanceolatis, una cum corollis saturate aurantiacis, unicoloribus.

Carlina caule multifloro, subdiviso; floribus sessilibus; calycibus radio flavis. *Linn. spec. plant. pag. 1160. num. 3.* *Gerard. gallopr. pag. 183. num. 3.* *Allion. flor. ped. tom. I. pag. 156. num. 569.*

Acarna apula umbellata. *Column. ecphr. pag. 27.*

Alibi hanc nuspiam adhuc, quam Flumine ad sanum S. Viti; ibi vero admodum frequenter ad Augusti finem, tum versus Croatiam, & Dalmatiam littoralem, inveni in asperis duris ad radices montium mari adsitorum; ipsa vel facie longe diversissimam a congeneribus lanata, & vulgari. Perennans radix novum quotannis reproducit caulem; longiuscula ipsa, fusiformis, in brachia quoque non infreenter subdivisa, sparsis radicularum fibris numquam non obsepta; extus ex flavo fuscens; glutinosum læsa lachrymans lac. Caulis, multo, quam ille Carlinæ vulgaris, fortior, firmiorque, duas minimum crassus lineas, ad cubiti etiam assurgit altitudinem erectus, teres, striatus, farctus, dilute e virore sensim rubescens, araneosa, quum juvenis adhucdum est, undique obductus lana, quam senescens maximam exuit partem decalvatus, stramineo - per desiccationem, flavescentia. Folia tam radicalia (simpliciter pinnata) quam caulinæ (subfagittato-lanceolata) ramorumque (ovato-lanceolata) iis Carlinæ vulgaris, signillima, multo tamen fortiora, crassioraque, & firma magis, magis-  
que

que rigida; nec non fortioribus per sinuosos marginum angulos horrida spinis, alterno per caulem ramosque situ, erecto - patent; suntque viridia, subtus pallidiora, eadem omnino, qua caulis, juvenili in ætate, obducta subtus araneosa filorum lana; iisdemque etiam, cum adolevere, reticulata inferne exstantium nervorum costis; per ambitum sinuose plicata, exstantibusque trigonis dentibus subpinnatifido spinosa; caulem, ramosque (quibus absque petiolo hærent sessilia) ampliusculis spinosisque semiamplexantia auriculis. Rami undique, etiam ex inferiore caule, sparsi, ex alternis enati foliorum axillis, apice uniflori, neque semper (ut in Columnæ figura) ad eamdem cum principali flore assurgentibus altitudinem corymbosi; ut recte cum Linnæo multiflorum dicas, & subdivisum caulem. Flores duplo maiores iis Carlinæ vulgaris, magisque speciosi; terminales, capitati: Calyce hemisphærico, ventricoso; composito ex squamis foliaceis, laxe imbricatis, sursum concavo - patentibus, plurimum ordinum, discum floriferum excedentibus. Harum exteriore foliis caulinis superioribus colore, reliquaque structura, cum proportione, simillimæ, & æque spinosæ. Intimæ discum, stellæ adinstar, radiantes, lanceolatæ, planæ, integerrimæ, papyraceo - membranaceæ, scariosæ, saturate utrinque flavo - aurantiacæ, & serici instar nitentes, nec dorso discolores. Corollæ æquales, tubulo - infundibuliformes, semiquinquesfidæ, hermaphroditæ, saturate aurantiacæ, una cum antherarum columna, & stigmate exerto, simplice, oblongo - subclavato; stylus setaceus albus, ut & staminula quinque. Germen subturbinatum, pubescens; semine oblongo, subfusiformi, ex flavo brunescente, pubescere a sursum imbricata, prostrata, & flavescente, nitente. Receptaculum planum, paleaceum. Paleæ albæ, apicem verius dilute flaventes, lanceolatæ, dorso carinatæ, apice inciso - lacinulatæ; lacinulis tribus - quatuor - aut quinque subulato - setaceis, sub apice tantillo incrassentibus.

Pappus femina coronans corollarum altitudine, albus, plumosus; ex fasciculis pilorum plumosorum constans. Odor nullus. Scopoli sub hujus specifico nomine, Carlinam vulgarem Linnæi ubivis obviam, describit.

## CCCXLV.

## CAMPANULA PYRAMIDALIS.

Campanula foliis glabris, ovatis, obtuse serratis, petiolatis; caule erecto, ab imo ad apicem contracte paniculato; ramis axillaribus, cauli approximatis.

Campanula foliis ovatis, glabris, subserratis, caule erecto paniculato; ramulis brevibus. *Linn. spec. plant. pag. 233. num. 7. Scopol. flor. carn. 2. tom. 1. pag. 146. num. 229. Allion. flor. ped. I. pag. 110. num. 404.*

Campanula lactescens major pyramidalis lutetiana. *Lobel. obs. pag. 177.*

Pyramidalis lœvis. *Joh. Bauh. II. pag. 808.*

Haidoviæ hanc primum inter Vippacum & Csernizam menœ Julio florentem inveni, supra muros ubivis; longe tamen majore postmodum in copia in sylva Sabbotina, ad pedem montis sancti Valentini, e regione montis sancti prope Salcanum, e rupibus florentem, ad quatuor quinqueve pedum altitudinem. Radix napiformis, oblonga, in plures persæpe divisa subsulciformes ramos, radiculisque sparsim obsepta fibrillosis, extus albido-subflavescens, uberrimo, una cum caule foliisque, si quæ plantarum alia, scatens lacte; altero primum anno caulem recta attollit ad justam hominis staturam, nunc simplicem (duos, tresve alias) glabrum, viridem, farctum, teretem, obtusissimeque simul ex striis lœvibus subangulatum; copiosum ex

læsione, ut partes reliquæ, stillantem lac. Plurima illum, partim a radice prognata, partim per omnem altitudinis longitudinem undique sparsa obseruent folia erecto-patentia, atque ex ipsis foliorum axillis enati, pariterque erecto-patentes, & caulem sub acuto stringentes angulo florum ramuli, in elongatam, speciosamque fastigiati pyramidem; utrisque, & foliis, & racemosis florum ramulis minoribus semper, minoribusque, quo remotiore ab infima inde caulis basi consistunt loco. Folia omnia subcordiaceæ, glabra, viridia, integra, per oras crenato-subferrata; radicalia, infimaque caulis longe petiolata, atque partim oblongo-subcordata, partim (maximamque partem) oblongo-ovata; reliqua obtuse ovata, breviusque petiolata; summa fere obtuse lanceolata, in petiolum velut decurrentia. Ramos quod florum attinet, eorum infimi, spithamam fere longi, alterna per intervalla triplicato-racemosi, racemulis ex subulatis bracteolis tri-quadriflorisque; superiores folio succolante breviores, duplicato-racemosi; summi simpliciter racemosi; racemulis tri-aut & bifloris tantum; floribus omnibus breviter pedunculatis, erectis, ad eamdem fere altitudinem ascendentibus, nec tamen umbellatis. Calyx germini insidens, quinquepartitus, foliolis linearie-lanceolatis, glabris, germen subæquantibus, patentibus. Corolla magna, campanulata, semiquinquæfida, laciniis ovato-acutis, erecto patentibus, dilute cærulea. Germen inferum, viride, glabrum, turbinatum, ovato-subtrigonum, striis elevatis exaratum. Stylus simplex, filiformis, staminibus altior, albus. Stigma oblongum, stylo crassius, tri-partitum, laciniis tandem revolutis. Stamina quinque alba capillaria, inserita apicibus valvularum nectarii. Antheræ longiusculæ, lineares, obtusæ, flavæ, corolla breviores. Nectarium in corollæ fundo, valvulis quinque ovato-acutis in fornicem supra receptaculum conniventibus, per oras ciliatis, compositum. Capsula subrotunda, costis existantibus angulata, apice

truncata, trilocularis; poris tribus lateralibus pertusa, per quos semina demittunt loculi. Semina plurima parva, oblonga, flavo-rufa. Odor nullus. Denticuli serraturæ foliorum glandulosi; laciniæ vero stigmatis albo-tomentosulæ.

## CCCXLVI.

## OROBUS LUTEUS.

Orobus foliis subquinato-pinnatis; foliolis ovato-lanceolatis; stipulis semi-sagittatis; pedunculis longissimis multifloris; caule herbaceo, simplice, ramoso.

Orobus foliis quinato-pinnatis; foliolis ovato-oblongis; stipulis semi-sagittatis; pedunculis longissimis; caule simplice. *Linn. mant. II. pag. 442.* *Gerard. gallopr. pag. 492. num. 2.* *Allion. flor. ped. I. pag. 328. num. 1212.* *Gmelin. flor. sibir. IV. pag. 13. num. 17. tab. 4.*

Orobus montanus. *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 60. num. 886. tab. 41.*

*Galega montana Dalechampii. Joh. Bauh. II. pag. 343.*

Orobus caule ramoso erecto, foliis ovato-lanceolatis. *Haller. hist. I. pag. 182. num. 419.*

Iteratis hunc vicibus longe elegantissimum Orobum Lithopolitanis in montibus inveni, mensibus Majo Junioque florentem. Radicis ei loco est tuber, aut quasi tuber transverse oblongum, crassitudine digitæ pollicaris, horizontale, perennans, lentum, duritie ligni, extus nigrum; ex quo copiose rectæ in terram defluunt, funicularum instar, fibræ longæ, teretes, & ipsæ quoque semifluitantes. Ex altero hujus tuberis fine, novus quot-

an-

nis, herbaceusque, velut e gemma, profilit caulis, cubitum fere semialterum altus, erectus, glaberrimus, prope terram rubescens, inde ad apicem usque viridis; firmus, farctus, inferne omnino teres, sursum tamen versus ex decurrentibus superficialiter foliorum axibus angulosus. Folia alterna per intervalla pinnata; axibus pinnarum erecto - patentibus, striato - angulosis, glabris, viridibus, plerumque absque impare foliolo, bi - tri - quadri - & interdum quinquejugis; foliolis subfessilibus, ovato - lanceolatis, aristula exigua terminatis, nudis, supra viridibus, subtus aquosissime albido - glaucescentibus. Folioli imparis (raro, sed tamen adest) loco, communis pinnarum axis in brevem ultra extimum foliolorum par, abit nervulum ramen-taceum viridem. Stipulæ in eadem planta admodum variantes; regulariter semihaftatæ dici possunt; supremæ certe admodum angustæ, hamulis sunt inæqualibus, linearis - lanceolatis, integris cum exigua horizontali cuspidula ex confluxu hamulorum profiliente; inferiores contra latiusculæ, obscure semihaftatæ, hamo superiore lanceolato, inferiore breviore subovato, integro, aut dentato. Rami ex foliorum pinnatorum axillis longi, erecto-patentes, nudi, aphylli, striato - angulosi, virides, apicem versus racemo-so - uniflori; floribus brevissime pedicellatis, secundis, nutantibus, ex alternis, minimisque bracteolis. Calyx monophyllus, tubulosus, basi sub vexillo gibbus, limbo obliquo, breviter quinquedentato, denticulis binis superioribus sub vexillo brevioribus, omnibus acutis, ex viridi demum rubentibus; tubus cætera calycis glaber, ex viridi magis, magisque albe-scens, lineis virescentibus pictus. Corolla majuscula, papillionaceo - tetrapetala, ex albo magis, magisque flavescentis, in aurantiacam fere emoriens. Vexillum emarginato - obcordatum, sursum apice lateribusque reflexum, longitudine carinæ. Alæ oblongo - obovatæ, unguis oblongo albo insistentes, hamulo lateralí lanceolato, pariter albo appendiculatæ. Carina

ve-

vexillum versus, eodem nihilo minor, adtendens, acutissima, tandem bipes. Stamina diadelpha, simplex, & novemfidum; antheris flavo-aurantiacis, rotundis. Germen cylindraceum, nudum, viride; stylus sursum flexus, filiformis; stigma lineare, planum, subtus pubescens. Legumen longum, glabrum, linearī-subfalcatum, compressum, acuminatum, tandem rubescens, uniloculare, bivalve, polyspermum; seminibus subrotundis.

## CCCXLVII.

## FERULA RABLENSIS.

Ferula foliis subquadripinnatis; foliolis linearibus, planis, angustissimis, trifidis, simplicibusque.

Ad radicem montis Regii (vulgo Königsberg) in rabilensi valle raram hanc inveni plantam, circa Julii medium magna in copia florentem, una cum rarissimis aliis Alysso alpestri, Aquilegia alpine, Statice Armeria, Gentiana lutea, Lilio calcedonio, Cytiso pūrpureo &c. aliisque plurimis. Radix perennis, tereti-fusiformis, crassa, torosa, in brachia quoque divisa, oblique horizontalis (an ob rupestre solum?) fibras inferne recta demittens, extus ex albo fuscescens, tandem nigra. Caulis copiosa inter folia radicalia ad semi alterum assurgit cubitum normalis, ramosus, teres, multistriatus, & ex striis inferne subangulosus, farctus, lævis, nitens, viridis. Folia radicalia plurima, plusquam spithamalia, longis e petiolis quadripinnata, erectopatentia; petiolo seu axe communi terete, striato, superne obiter canaliculato, lævi, vagina stipulari oblonga, integra, caulem infimum involvente, foliolis angustissimis, vix tertiam, aut & quartam lineæ partem latis, plenis

nis tamen, & linearibus, inque aristulam seu cuspidulam acicularem terminatis, trifidis, simplicibusque, nudis, lœvibus, nitentibus, saturate viridibus Folia caulina non alia, quam ad ramorum exortum, laxe alterna, radicalibus simillima, at nonnisi tripinnata, summis etiam bipinnatis solum; vagina stipulari longa, apice bifida, caulem aut ramum obvolvente. Ramini jam plures, jam & pauciores (quandoque nullus) longiusculi, erecto-patentes, aphylli, aut uno alterove breviore & bipinnato instructi folio, ut caulis principalis, umbella terminati longiuscule pedunculata. Umbella universalis magna, multiradiata, erecto-patens; radiis longis, striato-angulatis, lœvibus, vicenis, aut pluribus; in volucro universalis polyphyllo, persistente; foliolis linearis-lanceolatis, angustis, lœvibus, semipollicaribus, & ultra, viridibus, per oras albentibus, supra canaliculatis, tandem deorsum ad caulem deflexis. Umbellulae partiales universalibus cum proportione simillimæ. Idem de involucellis intellige respectu involucrum universalium; nisi quod eorumdem foliola florum radios longitudine adæquent. Germen inferum, nudum, turbinatum, striis elevatis exaratum; calyce parvo coronatum persistente quinquedenticulato. Corolla pentapetala, calyce major, petalis primum extus rubris, tum utrinque albis, oblongis, sublanceolatis, in obversum corculum, per acumen apicis sursum inflexum, conformatis. Filamenta staminum quinque, subulata, alba, petalis longiora; antheris subrotundis albis. Receptaculum in germinis apice intra calycem gibberibus binis contiguis hemisphæricis sessilibus. Styli duo filiformes albi divergentes & reflexi; stigmatibus simplicibus, obtusis. Fruktus ovali-oblongus nudus, bipartibilis in duo semina magna, compresso-plana, oblongo-ovalia, margine membranaceo alata, striis tribus elevatis longitudinalibus percurta. Odor peculiaris nullus.

## CCCXLVIII.

## UVULARIA AMPLEXIFOLIA.

*Uvularia caule ramoso; foliis alternis sessilibus cordatis amplexicaulibus; floribus ex axillarum latere simplicibus, longe pedicellatis, retrorsum nutantibus, secundis.*

*Uvularia foliis amplexicaulibus.* Linn. *spec. plant.* pag. 436. num. 1.  
*Schrink. flor. bav. I.* pag. 594. num. 529. *Allion. flor. pedem. II.* pag. 160. num. 1889. *Haller. hist. II.* pag. 116. num. 1237.

*Polygonatum latifolium quartum ramosum.* Clus. *hist. I.* pag. 276. Joh. Bauh. *III.* pag. 530. Barrel. *tab. 720.* flore albo minore germanicum.

Hanc quoque e vicinis Carnioliae sylvosis montibus una cum Ophry monophylla pluribusque aliis primum transmisit Illustrissimus, vereque amicissimus Carolus e Baronibus de Zoys, mense Junio florentem. Radix perennans horizontalis teretiuscula nodulosa, argillaceo-flavescens, undique obsepta indefinitis, funicularum instar, fibris, admodum longis, lentis, flavis, in glomum, caput Medusæ serpentinum referentem, collectis, ac inter se mutuo intricatis. Caulis cubitalis plus minus, teres, farctus, viridis, glaber, ramosus (tres communiter, etiam quatuor cauli subæquales proferens ramos) alterna per intervalla foliosus, ad cuiusvis exortum folii (idem de ramis intellige) nonnihil infractus, ut inter folia rectus dici nequeat, imo alternatim in contrariam flexus directionem. Folia ampla, alterna, sessilia, caulem amplexantia, ex cordata basi oblongo-ovalia, apice acutiuscula, integerrima, nuda, glabra, supra viridia, subtus aquofissime albido-glaucescens, nervis exstantibus copiosis percursa; iis Con-

val-

Iariæ Polygonati satis similia. Flores simplicissimi, non proprie axillares, verum ex latere axillæ folii cujusque exorti, longe pedicellati, retrorsum singuli in unam omnes aversam nutantes partem, pedicello prope medium ad angulum fere rectum infraeto. Calyx nullus. Corolla liliacea, hexapetalæ, oblonga, alba; petalis tribus exterioribus, basi gibbis; tribus interioribus; omnibus æqualibus, angustis, linear-i-lanceolatis, supra canaliculatis; basin versus in cylindrum velut conniventibus, a medio ad apicem patentibus, & extrorsum revolutis. Stamina sex; quodvis petalo ad basin supra nectarii foveam infixum; filamentis albis, latiusculis, parvis: antheris sagittatis, oblongis, albis, longitudine subdupla petalorum. Germen obtusissime triquetro - subrotundum, viride, læve, nitens. Stylus erectus, albus, semitrifidus, antheris, non petalis, longior; stigmata simplicia, reflexa. Capsula ovato-oblonga, trigona, rubra, nitens, trilocularis; loculis polyspermis.

## CCCXLIX.

## CARDUUS HELENOIDES.

*Carduus* foliis sessilibus, semiamplexicaulibus, ex cordata basi lanceolatis, integris, per oras inæqualiter spinulofo - ciliatis, subtus albido - tomentosis; caule inermi, subtrifloro.

*Carduus* foliis amplexicaulibus, lanceolatis, dentatis, spinulis inæqualibus ciliatis; caule inermi. *Linn. spec. plant. pag. 1155. num. 21. Allion. flor. ped. I. pag. 152. num. 553. tab. 13.* sub *Cirsio*.

*Cirsium solii ciliatis*, subitus tomentosis; radicalibus petiolatis, ovato-lanceolatis; caulinis lanceolatis, aut semipinnatis. *Haller. hist. I. pag. 77. num. 180. tab. 8.*

*Cirsium britannicum*. *Scopol. an. obs. 2. pag. 60. ex Clusio pann pag. 657. tab. 658.*

*Cirsium anglicum II. Clus. hist. pag. CXLVIII.*

In pratis subalpinis declivibus Kleinki rcheimensis, supra balnea S. Catharinæ, tum per alpes vicinas Folkartenses abunde mense Julio florens. Specie diversus a *Carduo heterophyllo* L. quocum Hallerus & Scopoli conjungunt; & quem magna in copia in pratis depresso-humidis trans Taurerum Malnizensem ditionis Salisburgensis *in der Peckau* inveni, foliis nunquam integris, sed profunde pinnatifido-laciniatis, laciniis longis, angustis, linear-lanceolatis, subitus niveo-tomentosis &c. Est *Carduo helenoidi* radix principalis non equidem bulbosa, crassiuscula tamen & brevis, quasi succisa foret, perennans, extus nigra, fibris capillata multis fusiformibus, albis, gracilioribus tamen, quam ut proprie tuberosæ dici possint, horizontaliter diffusis, & subrepentibus, omnino Asphodeli. Caulis ex ea ortus, simplex, erectus, nostris in alpibus bi- & tripedalis, digitus auricularis crassitudine, fistulosus, teres, profunde multifulcatus, inermis, tomento araneoso albo obsitus, apice aut uniflorus, aut flore uno, summum duobus aliis sub apice, proprio ex pedunculo axillari, subtriflorus. Folia complura, alterna; radicalia longa, lanceolata, in petiolum velut alatum decurrentia; caulina sessilia, semiamplexicaulia, ex cordata basi lanceolata, auriculis liberis, rotundatis, obtusis; omnia supra lâte virentia, subtus foliorum Rubi Idæi instar alba ex tomento araneoso; margine integra, nec laciniata, aut dissecta; oris marginum duntaxat inæqualiter spinoso-ciliatis;

spi-

spinulis rufis, mitibus, subpungentibus. Flores in capitulum sphæroidicum collecti. Capitulum terminale solitarium, aut unum binave præterea sub apice alia, suis e longiusculis, & aphyllis pedunculis. Calyx imbricatus squamis plurium ordinum, linearis-lanceolatis, dorso teretibus & gibbis, glabris, nec tomentosis, viridibus, glutinosis, apice extrorsum recurvis, mitibus seu inermibus, rufis, intimis membranaceis. Flosculi omnes æquales, calyce longiores, hermaphroditæ, monopetali, infundibuliformes, tubulo longo capillari albo; limbo erecto, ex ovata basi; profunde quinquefido, rubro; laciis linearibus. Stamina quinque capillaria, alba; antheris in cylindrum tubulosum rubrum connatis, longitudine fere laciniarum corollæ. Germen nudum, ovatum; stylus albus filiformis antherarum longitudine; stigma exsertum albido-subincarnatum, stylo tantillo crassius, tandem bifidum. Receptaculum dense villosum, villis obscure ex rufo fluorescentibus. Semina obovata, obscure tetragona, coronata pappo plumoso. Figura Halleri multo melior, quam ea Allionii. Accedit quod florum inferiorum pedunculi non tam ex foliorum, quam bractearum verius axillis enascantur.

## CCCL.

## CARDUUS HETEROPHYLLUS.

*Carduus* foliis semiamplexicaulibus, lanceolatis, spinuloso-ciliatis, integris semipinnatifidoque laciniatis, subtus niveo-tomentosis; caule subtrifloro; calycibus inermibus.

R r 3

Car-

*Carduus* foliis amplexicaulibus, lanceolatis, ciliatis, integris laciniatisque; caule subunifloro; calyce inermi. *Linn. spec. plant. pag. 1154. num. 20.* *Allion. flor. ped. I. pag. 152. num. 554. tab. 34.* sub *Cirsio*, dempta radice bene. *Oeder. flor. dan. tab. 109.* non bene. *Cirsio* quinto congener *carduus* bulbosus *monspeliacus*. *Cluf. hist. pag CXLIX.*

Magna hunc copia mense Julio florentem inveniebam in pratis humidis depresso inter Peckau & Gastein, trans Taurerum Malnizensem sub Rathausberg. Jam memini, heterophyllum cum helenoide, tamquam duas varietates ejusdem *Cirsii* speciei ab Hallero & Scopolio conjungi; subdubitare etiam de diversitate *Allionium*; distinxit interim cum Linnæo per-spicacissimus Clusius; & mirum sit, si quidem unius sint varietates speciei, me in Kleinkircheimii subalpinis sylvis pratisque centena inter, specimen reperisse nullum cum foliis laciniatis! neque in Peckaviensi valle, quam Gasteinenis humectat rivus, nullum, integris cum foliis. Infimo de caule sub terra complures, ut in *Aiphodelo* affolet, defluunt oblongi & fusiformes napuli, in longiusculas abeuntas fibras, qui una omnes perennem cardui istius efficiunt radicem. Caulis ab iis assurgit ad quatuor quinqueve pedum altitudinem normalis, teres & ipse, fistulosusque, ex multis profunde incisis angulosus sulcis, niveo, quantus quantus est, obductus tomento, sive araneosa & filosa lanugine, frequentibusque obsitus ultra dimidiā altitudinem foliis, apicem versus longiusculis e pedunculis subtriflorus. Folia omnia superne lāte viridia, subtus nivea ex copiosa, in fila diducenda lanugine, tomentosa; suprema sessilia, semiamplexicaulia, ex cordata basi lanceolata (auriculis rotundatis liberis) integra, subserrata, spinulis mitibus ciliata; inferiora caulis, una cum radicalibus, elongato-lanceolata, in pe-tio-

tiolum decurrentia, utrinque profunde, & subpinnatifido-dentata, ut laci-niata jure dicas, dentibus linear-i-lanceolatis; margine toto innocuis spinu-lis inæqualiter ciliata. Flores capitati, magni, longis insistentes peduncu-lis. Eorum calyx, corollæ, receptaculum, pappus, nihil ab iis cardui helenoidis differunt.

## CCCLI.

## ARENARIA VILLOSA.

*Arenaria* foliis linear-i-lanceolatis subpulposis, una cum caulis, pedun-culis, calycibusque villosis; petalis calyce longioribus.

Frequens in superioris Carnioliae montibus, alpibusque Scopolio probe cognitam fuisse scio, nam & ea in litterarum commercium, quod cum amicissimo viro mihi intercedebat olim, intraverat; ut mirari non potuerim satis, ab eodem in altera floræ Carniolice editione recensitam haud fuisse. Misericordia quoque nuperrime fuit ab Illustrissimo de Zoys. Radix peren-nans, longa, vixdum lineam crassa, filiformi-fusiformis, capillaribus lon-gisque adpersa radiculis, aquose extus subflavescens; integrum caulum cespitem profert, unico crassoque ex capite. Caules eos inter nonnulli annui breviores, erecti; reliqui superiorum annorum longiores, spithamam fere æquantes, decumbentes, basin versus exaridi, aphylli, geniculis dun-taxat articulorum subnodosis interstincti, in novos, viridesque reviviscen-tes, velut ex continuatione eorum anni præteriti. Duorum hos dicas an-norum caules; annuos superne, inferne annotinos. Fili, quot quot sunt, crassitudine omnes, teretes, simplicissimi, articulati, oblique virides, bre-

vibus undique obsiti villis, nonnihil & subviscidi, foliis ad articulorum præcise genicula oppositis, basique velut connatis, instructi, apice floribus, simplice e dichotomia, tribus, interdum duobus duntaxat, etiam uno non raro, longiuscule semper pedicellatis, terminati. Rami primum nulli; ex alternis tamen foliorum superiorum axillis, in nonnullis cum tempore caulis, simplicem, longiusque pedunculatum exoriri vidi florem. Folia linearia, summum linearis-lanceolata (præter ea infimorum geniculorum parva) longiuscula, supra plana, subtus longitudinaliter convexa, obscure viridia, undique villis exiguis obsita, plerumque plus minus patentia. Pedunculi florum longi, admodum graciles, tantum non capillares, ex obscuro virore sulcantes, visciduli, villulis undique obsiti, ex foliolis subbraeolis binis oppositis linearis-subulatis (quorum par & in pedunculorum medio plerumque reperitur) exorti, tempore effusionis semen reflexi. Calyx pentaphyllus persistens; foliolis lanceolatis, medio longitudinaliter absque carina convexis, viridibus, villosis, margine membranaceo albo cinctis. Corolla calycibus duplo major, nivea, pentapetala; petalis oblongo-ovatis, integerrimis, non striatis, patentibus. Stamina decem, alternis parumper brevioribus; nullis corollas æquantibus; filamentis subulatis albis; antheris subrotundis, primum rubris, tum nigrescentibus. Germen ovatum, nudum. Styli tres albi; stigmata simplicia. Capsula ovata, vix calyce major, unilocularis, apice sexfariam dehiscens, polysperma.

*Obser.* Arenarium hanc a montana Linnæi diversam non esse credrem, adstipulante comprimis ea, quam ejusdem in quarto Amænitatum Academica rum tomulo p. 273. vir præstantissimus dedit, descriptione. Terruit tamen fusa, quam Allionius Arenariæ montanæ L. elucubratus est  
de-

descriptionem, quæ sane mea cum planta stare nequit; quid? quod annuam suam dicat? cum mea perennis sit.

## CCCLII.

## GNAPHALIUM STOECHAS.

*Gnaphalium fruticosum*, foliis linearibus, ramis virgatis; corymbo compo-  
sito. *Linn. spec. plant. pag. 1193. num. 9.* *Scopol. flor. carn. 2.*  
*pag. 154. num. 1052.* *Gerard. gallopr. pag. 212. num. 3.* *Allion. flor.*  
*ped. I. pag. 171. num. 621.*

*Filago* foliis linearibus, oris contractis; ramis simplicissimis, umbella con-  
vexa terminatis. *Haller. hist. I. pag. 64. num. 145*

*Chrysocome media* seu *Stœchas citrina vulgaris.* *Barrel. tab. 409.* & *Chry-*  
*socom e* seu *Stœchas citrina minor.* *Barrel. tab. 410.*

*Stœchas citrina tenuifolia Narbonensis.* *Joh. Bauh. III. pag. 154.*

Flumine ad sinum Flanaticum in montibus calcareis glareosis maxi-  
ma in copia, una cum Junipero oxycedro, Satureja montana, Salvia odo-  
ratissima aliisque rarissimis, florens a Julio in Septembrem usque, vehemen-  
ti Abrotani, sed longe suaviore odore. Ex radice perenni lignescente  
brachiata, frutex & ipse lignescens, inferne valde ramosus, ad duas fere  
attollitur spithamas virgatus; virgis diffusis, erecto-patentibus, gracilibus,  
firmis, teretibus, tomento araneoso albo undique obductis, foliisque undi-  
que sparsis obsitis; iis quidem superiorum annorum ex singulis foliorum  
axillis breviter ramulofisis, ramulis pure foliolosis, altero demum anno flo-  
res daturis; annuis contra ut plurimum simplicissimis, elongatis, foliis al-

S s

terna

terna per intervalla obsitis, apice corymboso-floriferis. Folia omnia linearia, angustissima, vix dimidiata lata lineam, oris præterea marginalibus (ut recte Hallerus adnotavit) retrorsum revolutis; suntque una cum corymbulorum, & florum pedunculis, eodem, quo caulis virgæque, araneoso & albo obducta undique tomento. Flores versus virgarum apices in corymbum compositum convexum sat brevem ordinati; pedunculis corymbulorum partialium, ut plurimum tri - quadrifloris; ipsis autem floribus, seu capitulis verius florum parvis, ovatis, brevissimeque pedicellatis. Calyx capitulorum communis. ovatus squamis imbricatus plurium ordinum oblongo-ovatis, intimis lanceolatis, scarioso-membranaceis, concavis, nudis, citrino-flavis, nitentibus, cum tempore subrugosis, patentibus, nec deciduis. Receptaculum nudum. Flosculi omnes flosculosi, intimis calycis squamis vix altiores; disci hermaphroditæ infundibuliformes, tubulo longo albo, limbo campanulato quinquefido flavo. Radii pauci, fœminei, pure tubulosi, tubulo capillari albo, apice integerrimo, aut absque limbo campanulato, inciso-trifido; iis stamina nulla, nec antheræ, stylus præcise filiformis albus, tubuli longitudine, stigmate bifido reflexo: Hermaphroditis contra stamina quinque capillaria alba brevissima; antheris in cylindrum flavum connatis; stylo stigmatibusque iisdem cum fœmineis. Germen idem flosculis omnibus, parvum, ovatum. Semen quoque idem omnibus, oblongum, breve, pappo coronatum simplice piloso.

*Observe.* Stœchadem Dodonæi citrinam, quæque eadem cum Lobelii Chrysocoma aureave coma, & cum Gnaphalio Stœchas Schrankii, est, inter synonyma plantæ meæ haud recepi; est etenim quam certissime nil, nisi Gnaphalium arenarium Linnæi, seu Stœchas citrina latifolia C. B., planta annua herbacea. Spiram inter & Wormatiam, suam Dodonæus

cre-

crescere afferit; at ibi non aliam ego iteratis vicibus crescentem inveni, quam omnino Gnaphalium arenarium. Et qui vera Stœchas citrina angustifolia C. B. (quæ nostra est) diligentissimum Pollichium in Palatinatu ad Rhenum effugere potuisset? Figura certe & Lobelii & Dodonæi, eadem utique est cum Clusii Chrysocome L. vulgari Hist. pag. 326. Aperte vero Clusius afferit, hanc esse plantam eam, quam vulgus Stœchadum citrinum appellat, cuius, cum multis Provinciis communis sit, figuram solummodo, non vero decriptionem, se daturum. Dat contra idem Clusius citato loco, graphicam illico plantæ nostræ decriptionem, absque tamen figura, recente fendo Chrysocomes quasdam alias, quas sive in Hispaniis Salmanticæ, sive in Gallia Narbonensi quondam observaverat, quasque inter prima est cubitalibus plerumque virgis.

## CCCLIII.

## VICIA OROBOIDES.

Vicia pedunculis multifloris, petiolo brevioribus; foliolis ovato-lanceolatis, supra villosis, duorum jugorum absque impare; stipulis ovato-acutis.

Pluribus in montibus sylvosis Carinthiæ, Carnioliaeque ab anno inde sexagesimo secundo hujus saeculi stirpem hanc inveni mensibus Majo Junioque florentem; scilicet in Ratshberg prope Gurniz; in Slivinza ad Zirchnizensem lacum; in monte S. Jodoci prope Krainburgum. Nuperrimi non habent. Facie aliquantum cum Vicia sepium L. convenit. Radix perennis, informe, crassum, & breve velut tuber formans, ex quo multæ un-

dique, longiusculæque funium instar diffunduntur fibræ filiformes, teretes, lentæ & sublignescentes, extus fuscæ. Caulis cubitalis, unus, alterve ea ex radice recta assurgit; gracilis quidem; attamen liber, & firmiusculus; tetragono-angulosus, ramosus, lævis, dilute viridis; foliis alternatim ob-situs simpliciter pinnatis, duorum præcise jugorum absque impare; cujus loco communis pinnarum axis nudus supra canaliculatus, subtus contra striatus, in nervulum brevem ramentaceum linearis-lanceolatum procurrit. Foliola ipsa sessilia, ex ovata basi lanceolata, majuscula, plana, integerrima, supra viridia, & villosa, villis decumbentibus, demum cadivis, subtus pallidiora, aquosissime albido-virescentia, nervosa. Stipulæ sessiles, ova-to-acuminatæ, extus fovea impressa nectarifera notatæ; cæterum integerri-mæ; inferiores tamen hamulo brevi appendiculatæ laterali, aut simplice, aut dentato, ut semihastatæ etiam fiant. Flores in racemis axillaribus, brevibus, erectis, a quatuor ad septem & octo usque, secundi, nutan-tes; stipite seu pedunculo communi petiolis duplo breviore, angulo, nu-do; pedicellis propriis brevissimis. Calyx monophyllus, tubuloso-campa-nulatus, basi obtusus, ore obliquo, quinquedentato, nudus, primum aquo-se ex viridi-luteolus, demum subrufescens; dentibus lanceolatis, viridibus, inæqualibus; duobus brevioribus sub vexillo; tribus inferioribus sub carina longioribus. Corolla papilionaceo-tetrapetala flava. Vexillum reliquis petalis majus, longiusque, obcordatum brevissimo cum acumine, dorso in carinam compresso, saturatius flavo, lateribus reflexis. Alis oblongo-ova-tis, flavis, carinam, non vexillum excedentibus, ad se concavo-conniventibus, ungi longiusculo insistentibus albo, hamoque brevi lateralí appendiculatis. Carina flava, immaculata, compressa, ventre semi-orbicu-lato-naviculari, bipes, basin versus alba. Stamina diadelpha, decem, simplex & novemfidum, alba. Antheris luteis. Germen lineare, angu-stum,

stum, nudum, viride. Stylus filiformis sub angulo adscendens. Stigma obtusum sub apice oblique barbatum villis sericeo-niveis. Legumen longum, erectum, uniloculare, bivalve, nudum, apice acuminatum, polyspermum; seminibus ultra decem rotundis. Odor nullus.

## CCCLIV.

## LATHYRUS APHACA.

*Lathyrus pedunculis unifloris; cirrhis aphyllis; stipulis sagittato-cordatis.*

*Linn. spec. plant. pag. 1029. num. 1. Scopol. flor. carn. 2. p. 2. pag. 61. num. 887. Gerard. gallopr. pag. 493. num. 1. Necker. del. gallob. pag. 305. num. 3. Pollich. palat. II. pag. 298. num. 1. Schrank. flor. bav. pag. 254. num. 1075. Allion. flor. ped. I. pag. 329. num. 1216.*

*Lathyrus aphyllus, stipulis sagittatis latissimis. Haller. hist. I. pag. 191. num. 442.*

*Aphaca. Lobel. obs. pag. 518.*

*Vicia, quæ Pitine Anguillaræ, lata siliqua, flore luteo. Joh. Bauh. II. pag. 316.*

Recentem inter segetem frequens ubivis circa Goritiam initio visitur Maji. Plures quaquaversum diffusi, & procumbentes una de radice, eaque omnia, gracili, fusiformi, gracilioraque passim in brachia divisa, exent caules, & ipsi sat graciles, tetragoni, laves, virides, ramosi, ab una ad semialteram cum tempore prolongati spithamam, omnino aphylli, foliorum nihilominus loco, cirris simplicissimis filiformi-setaceis alterna per intervalla obfisi, quibus & passim cerealium se illigant culmis scandentes.

Cirrum quemque (sæpe horizontalem) geminæ stipant, ex adverso sibi oppositæ stipulæ foliaceæ, lâte virides, glabræ, tenerimis, copiosissimisque percurvæ nervulis, hac in gente maximæ, latissimæque, sessiles, semi-amplexicaules, obtuse sagittato - cordatæ, integerrimæ, primum erectæ; cauli, sibique mutuo ipsis appressæ, ita, ut prima in ætate, diductis nondum satis caulium ramorumque articulis, eosdem, imbricum more, obtegant tolos; divergentes tantisper ab invicem cum tempore. Flores simplicissimi, solitarii, longissime ex alternis stipularum axillis pedunculati, cirro ferre oppositi: pedunculo stipulas triplo excedente, gracili, tetragono, nudo, aphylo, erecto-patente, sub flore articulo brevi infraeto, & subnutante. Calyx monophyllus, turbinato - subcampanulatus, semiquinquefidus, viridis, glaber; laciniis lanceolatis, acutis; binis sub vexillo tantillo brevioribus, rectis tamen; tribus sub alis, carinaque, intermedia tantillo longiore. Corolla saturata flava, papilionaceo-tetrapetala; vexillo reliquis maiore, obcordato, apice, lateribusque reflexo. Alis oblongo-subovatis, sursum versus sublunatis, concavo-conniventibus, ungi longiusculo albo insistentes, hamuloque lateralí albo appendiculatæ, carinæ subæquales. Carina bipes, compressa, obtuse acutiuscula, naviculariter aditcendens, ventre semiorbiculato, alis tantillo brevior. Stamina decem diadelpha, simplex & novemfidum. Antheræ subrotundæ, flavæ. Germen nudum, lineare, compressum. Stylus ad germen sub angulo inclinatus, & velut sursum aditcendens, planus, apicem versus tantisper latefcens. Stigma obtusiusculum, subitus ex pube villosum. Legumen compresso-subcylindraceum, uniloculare, bivalve, polyspermum.

CCCLV.

## ALCHEMILLA ALPINA.

*Alchemilla* foliis digitato - septenatis; foliolis oblongo - obovatis, apice ferratis, inferne ex pube decumbente sericeo - argentatis.

*Alchemilla* foliis digitatis ferratis. *Linn. spec. plant. pag. 179. num. 2.*  
*Oeder. flor. dan. tab. 49. Gerard. gallopr. pag. 463. num. 2. Gunner.*  
*flor. norv. I. pag. 71. num. 193. Schrank. flor. bav. I. pag. 413. num.*  
*298. Allion. flor. ped. II. pag. 194. num. 2001. Haller. hist. II. pag.*  
*262. num. 1567.*

*Pentaphyllum alpinum petrosum & minimum. Lobel. advers. pag. 307.*

*Heptaphylon. Clus. hist. pag. CVIII.*

*Alchemilla argentea montana pentaphyllos. Barrelier. tab. 756.*

*Pentaphyllum sive potius Heptaphyllum argenteum flore muscoso. Joh.*  
*Bauh. II. pag. 398.*

Habitat summis in alpibus ad rupes humilia inter gramina; nec cum forore *Alchemilla vulgari* in depressiora descendens pascua. Miratus sum, nec ab exactissimo cæteroquin Clusio radicem elegantis hujus stirpis rite expressam fuisse. Est hæc nec simplex, nec fusiformis, verum quam maxime sub terra ramosa, repensque, & multiceps, digitum fere auricularem crassa, perennans, lignosa, teres, extus fusca, alba intus, fibris undique demissis firmata. Quovis ejusdem e capite (ex vetustis foliorum petiolis atro - rubentibus setoso) plurima inter folia radicalia annua, unus alterve, aut & aliquot enascuntur caules plus minus spithameles, graciles quidem, attamen firmi, teretes, erecti, pube prostrata albo - sericea obducti, inferne,

si unum alterumve longe inter se diffita demas folia, fere aphylli, superiore versus, parce, nec nisi alterna per intervalla, ramosi; caule summo, ramisque interruptim fasciculato-floriferis. Folia radicalia, & infimum caulis, longe petiolata, digitato-septenata; foliolis oblongo-obovatis, ad basin usque partitis, in orbem ordinatis, apicem versus inciso-ferratis, supra planis, glabris, lâete viridibus, subtus rachi media longitudinali extante percursis, ac una cum petiolo terete, ex pube prostrata alba, sericeo-argentatis. Stipulae basi petiolorum adnatæ, ovali-lanceolatæ, tandem spadiceæ. Folium caulis superius, brevissime petiolatum, aut sessile, reliquis simile, attamen nonnisi digitato-ternatum. Flores simplices, brevissime pedicellati, erecti, in fasciculos interrupte subverticillatos, ad caulis ramorumque summitates collecti, tamquam ex nido foliorum seu verius bractearum binarum oppositarum, & sessilium axillis; bracteis cum proportione, a foliis vix differentibus, supra lâete viridibus, inferne sericeo-argentatis, inciso-ferratis. Calyx monophyllus, tubulatus, persistens, limbo plano, stellatim patente, octopartito, lacinulis ovato-acutis, alternis minoribus, supra lâete viridibus glabris, subtus ex pube sericeo-argentatis. Corolla nulla. Stamina quatuor, calycibus breviora, erecta, subulata, viridantia, calycis fauci insistentia: antheris rotundis, viridi-cinerascentibus. Germen ovatum, nudum, in fundo calycis. Stylus filiformis, staminum altitudine ex germinis basi ascendens. Stigma globosum, flavicantis, nitens. Semen unicum, in calyce clauso reconditum.

## CCCLVI..

## GERANIUM PALUSTRE.

*Geranium pedunculis bifloris longissimis declinatis; foliis quinquelobis incisis; petalis integris.* Linn. *spec. plant. pag. 954. num. 41.* Oeder. *flor. dan. tab. 596.* Leers. *flor. herb. pag. 152. num. 536.* Pollich. *palust. II. pag. 258. num. 647.* Allion. *flor. ped. II. pag. 36. num. 1400.* Schrank. *flor. bav. II. pag. 223. num. 1037.*

*Geranium batrachoides palustre flore sanguineo.* Dillen. *hort. elth. tab. 134. fig. 161.*

*Geranium caule diffuso; foliis rugosis semiquinquelobis; lobulis trifidis; floribus sparsis; petalis integerrimis.* Haller. *hist. I. pag. 403. num. 933.* Opusc. *pag. 108. num. 14.*

Frequens Ossiaci in pratis & fruticetis humidis laeui cognomini ad sitis; tum & in paluatribus & pratis lacui Lengsee ad sancti Georgii conterminis. Radix perennis, oblique transversa, fibris undique copiose obsepta; caulem effert plus minus cubitalem, erectum; ex tereti-angulatum, articulatum, gracilem quidem, attamen rigidulum, in ramos ad articulorum genicula diffusum, viridem, albis nihilominus, mollibusque obsitum villis. Folia tam radicalia, quam caulina (demptis supremis sessilibus) longe petiolata, ex emarginata basi, circumscriptione rotundata, ad medium usque (nec basin) quinqueloba, lobis late lanceolatis, inæqualiter inciso-dentatis; suntque rugosa, supra viridia, leviter pubescentia, subtus pallidiora, aquose virecentia, una cum petiolis albis absita villis;

T t.

in

in caule ad genicula duntaxat articulorum, & quidem opposita, ut tamen & terna nonnumquam versus inferiorem caulem eodem ex geniculo erumpant; supremis, ut dixi sessilibus, iisque semitrilobis, inciso - serratis. Stipulæ ad petiolorum basin ovato - acuminatæ, integræ, villosæ. Rami ex foliorum axillis divaricati, erecto - patentes. Pedunculi teretes, longi, albido - molliterque villosi, apicem versus, inter bracteolas linearí - lanceolatas, bifidi & biflori; pedicellis longis, villosis, divaricatis, post florescentiam declinatis. Calyx pentaphyllus, foliolis ovato - oblongis, concavis, patentibus, nervo, seu aristula prostante terminatis, dorso glabris, striisque elevatis saturatius viridibus, alternatim tribus, binis, & solitaria, percursis. Corolla pentapetala, patens, petalis calycem excedentibus, oblongo - obovatis, & fere elliptoidicis, integerrimis, dilute rubris, lineis saturationibus longitudinaliter pictis, basin versus albescientibus, unguiculo brevi insistentibus, cadivis persistente calyce. Stamina monodelpha decem, basi latiuscula, in subulam albam calycis longitudine, terminata; antheris oblongis versatilibus cinerascentibus. Germen ovato - quinquangulare rostratum pubescens, pube prostrata. Stylus subulatus staminibus longior, terminatus apice stigmatibus quinque rubris divergentibus reflexis. Fruktus pentacoccus, longe rostratus, compositus capitulis quinque monospermis, una cum rostro, pubescentibus, a basi sursum spiraliter secedentibus.

## CCCLVII..

## VIOLA PALUSTRIS.

*Viola acaulis*, foliis reniformibus, crenulatis, longe petiolatis.

*Viola acaulis*, foliis reniformibus. *Linn. spec. plant. pag. 1324. num. 7.*

*Oeder. flor. dan. tab. 83. Pollich. palat. II. pag. 509. num. 836.*

*Haller. hist. I. pag. 241. num. 560. Gunner. flor. norv. I. pag. 65. num.*

*170. Necker. del. gallob. pag. 367. num. 3. Gerard. gallopr. pag. 375.*

*num. 1. Schrank. flor. bav. I. pag. 487. num. 395. Allion. flor. ped. II.*

*pag. 97. num. 1638.*

Magna in copia in pratis spongiosis palustribus versus Falkenberg: Floret initio Maji. Radix perennans, teres, filiformis, horizontaliter sub terra repens, alba, fibrillis capillaribus compositis copiosissime demissis nixa. Scapus unus, alterve (nonnumquam & tres eodem ex radicis capite) bi - tri - & quadripolllicaris, plura inter radicalia folia, erectus, nudus, aphyllus, oblique triqueter, aquose viridis, circa medium altitudinem squamis five verius bracteis binis alterne suboppositis sessilibus, linearilanceolatis, angustissimis, erectis, viridibus, obsitus, apice uniflorus. Folia radicalia, reniformia, quandoque & obtuse ex reniformibus cordata, nuda, per oras crenulata, supra viridia, aquosiora subtus, & nervosa, semper longe petiolata, scapo tamen breviora; petiolo supra plano, subtus striato, undique glabro, stipulis basi binis ovato-lanceolatis integris vallato. Flos terminalis, tantisper nutans. Calyx pentaphyllus, foliolis obtuse ovato-lanceolatis, glabris, viridibus, per oras albidis. Corolla pentapetala, calyce major; petalis duobus (summo loco positis) obovatis,

in unguem velut decurrentibus, immaculatis, jam aquose cærulecentibus, alias albis cum aquosa cærulei emorientis tinctura; binis lateralibus itidem obovatis in unguem decurrentibus, infra medianam altitudinem transverse villosulis; jam albis, semper nihilominus linea longitudinali una alterave atro - cærulecente a basi ad medianam altitudinem superne pictis; petalo supremo (infimo loco sito) reliquis majore & latiore, obovato, integro, aquose cærulecente, aut & albo; lineis quinque ad septem atro - cærulecentibus, remote utrinque denticulatis, picto; postice in calcar nectariferum tubulosum, obtuse conicum, breve, cæruleum, abeunte. Stamina quinque, brevia, basi latiuscula, circum germen conniventia; binis, petalo solitario respondentibus, appendice baseos in calcar nectariferum regredientibus. Antheræ aurantiacæ, leviter cohærentes, acuminatæ, apice auctæ membranula trigona scariosa. Germen ovatum; stylus filiformis antherarum longitudine. Stigma exsertum incrassatum. Capsula oblongo - ovata, obtuse triquetra, unilocularis, trivalvis, polysperma. Odor nullus.

## CCCLVIII.

## SALIX RETUSA.

Salix caulis prostratis repentibus ramosissimis; foliis glabris, obovatis, integerrimis, subtus longitudinaliter venosis; amentis laxe paucifloris.

Salix foliis subferratis glabris obovatis obtusissimis. Linn. spec. plant. pag. 1445. num. 15. Allion. flor. ped. II. pag. 185. num. 1968.

Salix foliis glabris ovatis nitentibus; iulis paucifloris. Haller. hist. II. pag. 309. num. 1648.

Salix

*Salix serpillifolia.* Scopol. flor. carn. II. pag. 255. num. 1207. tab. 61.

Jacquin. flor. aust. III. tab. 298.

*Salix humilis repens.* Lobel. adv. pag. 423.

*Salix pumila folio utrinque glabro.* Joh. Bauth. I. p. 2. pag. 217.

Nonnisi summarum incola alpium; florens Julio; nostris in alpibus Juliis, Noricis, Rhæticis undique frequentissima; a se ipsa non parum diversa; magnitudine foliorum, & amentorum; prout scilicet aut nudis insternit rupibus ampla per spatia; aut fertiliore solo, lætiora vegetationis capere valeat incrementa. Fruticem dicas? an verius arborem? quam maxime perennantem, atque adeo humilem, ut vixdum a terræ, cui insternitur, superficie sese attollat, diffusis quaquaversum ad unius, alteriusque distantiam pedis, fæcundissimi caudicis brachiis, ramulisque frondescientibus. Lignea auricularis digitæ crassitudine radix, lentaque, & fractu contumacissima, alte in terram intra rupium demergitur rimas, teretuscula, ex fulvo nigra, interne alba, capillaceis per intervalla extus obsita, longisque & ramulosis fibrillis. Ea vel sub terra in plures jam divisa ramos, totidem per ejusdem late effundit superficiem caudices, & ipsos ligneos, lento, tenacissimosque, nunc vixdum spithamales, alias pedales, cubitalesque, qua longi sunt decumbentes, inque amplas quaquaversum sese diffundentes ramorum frondes depresso. Cortex tam caudici, quam ramis, ex viridi (qualis prima in ætate fuit) rubens, tum fulcus, interdum quoque nudas super rupes, æstuantibusque solis radiis exustus, cinereus, nudus, glaber; solentque utrique, & caudex, & annotini quoque rami novellis iterum, quas recta in terram demittunt, fibrillis radicari prorepentes. Annuos quod ramulos, e veterum exortos gemmulis, attinet, ii siquidem (ut in Taurero Malnizensi, in alpe Sarlensi &c.) nudis Salicis hæc species instrata crescat rupi-

T t s

bus,

lus, ut frequentissimi, stipateque accumulati, ita & brevissimi quoque, tres quatuorve, aut quinque lineas alti, sediformes verius foliorum formant rosulas, foliolis etsi reapse alternis, ita nihilominus in exiguo compacte ad densatis axiculo, ut imbricata, erectoque patentia videantur esse, centrum rosulae occupante, quovis in sexu, brevissimo, ipsisque foliolis humiliore paucissimorum florum (3—5) subsessili amentulo. Crescat jam (ut in alpibus afolet Lithopolitanis; Malborgettaniis *Mittagskogl*; Villacensi *Heiliger Stein*; Bleyburgensi Pezzen &c.) eadem Salicis species propitio magis vegetationi solo; aprico, inquam, herbidoque summorum jugorum, ramulatum annui ad pollicis, aut semialterius diducti longitudinem (vide figuram Jacquinii) foliisque laxius alternantibus obsiti, stipitato terminantur, utroque in sexu, sex, octo, linearum iulo, flosculis a quinque ad octo, laxe ordinatis, onusto. Foliorum, amentorumque eadem semper in utraque varietate, dempta præcise magnitudine, conditio; sunt illa generaliter obovata, integerrima, exstipulata, firmiuscula, utrinque glabra, supra saturate viridia, & nitentia, subtus aquosiora, rachi longitudinali, venisque lateralibus longitudinaliter incurvis, parumper elevatis, cum tempore atro-rubentibus picta. In specie vero varietatis minoris: duas tresve lineas longa, semialteram lata, subsessilia, & sediformem formantia rosulam; varietatem contra majoris & fæcundioris: ad pollicem, & ultra elongato obovata, cum trium quatuorque linearum latitudine, plerumque obtusa, tamen & obtuse nonnunquam acutiuscula, manifeste breviter petiolata, laxeque inter se alternantia. Flores in amentis masculis, & fœmineis, diversis in plantis. Amenta tam mascula, quam fœminea primæ varietatis adeo & exigua, & in ramulorum annuorum apice intra foliorum rosulam demersa, ut vix amenta esse crederes; sed umbellulam verius, aut fasciculum trium, quatuor, aut quinque florum simplicium breviter pedicellatorum in rosularum,

cen-

centro collectim nidulantium, ipsis rosularum foliis minorum; quodsi nihilominus folia rosularum sive ramulorum singillatim, & attente deradas, vera semper invenies amenta, flosculos scilicet receptaculo communi filiformi, instar squamarum paleacearum, undique insidentes. Semi-aut omnino pollicaria contra sunt eadem, in varietate majore, amenta, stipitata semper, & terminalia, stiptite seu axe communi glabro, teretusculo, viridi-flavescente, inferne aphylo, basi bracteolis aliquot foliaceis lanceolatis stipato; flosculis sursum versus paucis, a quatuor ad octo, laxe ordinatis & sessilibus obsito. Squama calycina in mare æque, ac fœmina, oblongo-obovata, sessilis, erecto-patens, glabra, ex viridi-flavescens, apice duntaxat, idque in prima folium ætate, pilis paucis setaceis longiusculis, demum eadivis, obsita; semper uniflora; semper & corollæ expers, cujus loco, ad staminum, & pistillorum interiorem basin glandula nectarifera ovato-truncata sessilis, ex viridi subflavescens, calyce triplo minor, occurrit. Stamina in amentis masculis duo, erecta, divergentia, calyce duplo minimum longiora, filamentis filiformibus dilute luteolis, nudis; antheris subrotundis, didymis, quadilocularibus, rubris, polline, dum dehiscunt, aureo, valvularum thecis tandem nigrescentibus. Germen in fœmineis amentis subsessile, oblongum, ovato-attenuatum, nudum, viride, apicem versus rubescens; stylus vix ullus, a germinis apice distinctus; stigmata duo, bisurca, erecto-patentia, apicibus obtusis rubentibus. Capsula squamis calycinis longior, subsessilis, inverse pyriformis, seu ex ovata basi conica, glabra, tandem fusca, unilocularis, bivalvis; valvulis ab apice dehiscentibus, revolutis. Semina minima; pappo niveo simplice, piloso. Præter ramos in amenta apice abentes, & alii quoque rami steriles, mere foliosi, complures.

## CCCLIX.

## SALIX HERBACEA.

*Salix* foliis petiolatis orbiculatis circumferratis glabris; iulis stipitatis paucifloris, folio brevioribus,

*Salix* foliis serratis glabris orbiculatis. *Linn. spec. plant. pag. 1445. num. 16. flor. lapp. pag. 286. num. 355, tab. 7. fig. 3. 4. & tab. 8. fig. h.*  
*Oeder. flor. dan. tab. 177. Hoffmann. hist. salic. pag. 74. tab. 20. fig. 1—4. Gunner. flor. norv. I. pag. 51. num. 111. Allion. flor. pedem. II. pag. 185, num. 1967. Jacquin. en um. pag. 173. num. 14. obs. 95. Haller. hist. II. pag. 309. num. 1649.*

Crescit copiosissime summis in alpibus Fladnizenibus, Winterthal & Eisenhut, in Taureris itidem &c. una cum Cherleria sedoide, Silene acauli, Sibbaldia procumbente, ad latera cum primis rupium. Julio & Augusto floret. Arborum minima, radice est perenni, pennæ columbinæ crassitudine, lignea, terete, extus fusca, sub terra repente, inque ramos, caudicesque quaquaversum diffusos divisa, fibrillis tenerrimis, quamquam & ipsis sublignescentibus & lentis, sparsim demissis, firmata. Caudices quam summam ultra telluris exstant superficiem, per eamdem prostrati repunt, tenellis itidem per intervalla radicati fibrillis; de se graciles, dimidiam vix crassi lineam, cortice superinducti fusco-rubente, glabro, & nodulo; primum lenti, & flexiles, in lignum tamen abeentes denique, brevissimosque veteribus e gemmulis ad pollicis vix dum altitudinem quotannis attollentes ramulos, vase, laxeque dispersos. Sunt ii teretes, glabri, viridantes, foliis semper obtusi paucis, ut plurimum binis, suboppositis, terminalibus,

bus, e quorum sinu floriferum erumpit amentum, ipsis brevius foliis; alterne ternis, quaternisque, nec pluribus. Ea, ut in univalvi gemmali squama latitant, convoluta, explicant se demum planum in orbem, promiscue circularem aut contracte ellipticum, etiam fere obovatum, cum retusa interdum ad apicem emarginatura; semper pro parvitate arbusculæ maxima, exstipulata, breviter petiolata, utrinque glabra, supra etiam viridia & nitentia, subtus aquosiora, & ramose venosa, venis subinde exstantibus, margine toto crenis brevibus inæqualibus circumferrato. Amenta florum mascula, fœmineaque diversis in plantis; utraque parva, gracilia, cylindracea, ne dimidium pollicem longa, terminalia, e sinu communis duorum foliorum, pedunculata, ipsis breviora foliis, bracteolis propriis ad stipitis basin nullis, pauciflora, flosculis a tribus ad usque octo laxiusculæ imbricatis. Squamæ calycinæ oblongo - obovatæ, concavæ, glabré, per oras & apicem villis longiusculis albo - sericeis obsitæ, in fœmina e viridi tandem rubræ; in mare e viridi flaventes. Corolla nulla; ejus loco glandula nectarifera ad interiore staminum germinisque basin, calyce duplo brevior, sessilis, e viridi lutescens, ovato - attenuata, apice truncata, cohaerens aut connata basi cum appendicula brevi teretiuscula, postice intra calycem & stamina, aut intra calycem & germen ascendentē. Stamina in mare bina, calycibus duplo triplove longiora; filamentis una cum antheris, luteis. Germen in fœmina subsessile, ex ovata basi attenuatum, seu inverse oblongo - pyriforme, calyce longius, nudum, viride, tandem rufescens; stylus vix ullus; stigmata duo bifurca, apicibus obtusiusculis, flavescentibus. Capsula respective majuscula, subsessilis, seu brevissime pedicellata, ovato - attenuata, nuda, unilocularis, bivalvis valvulis revolutis. Semina exigua, pappo longo piloso niveo.

## SALIX RETICULATA.

*Salix* foliis exstipulatis petiolatis ovalibus integerrimis, subtus venoso - reticulatis; amentis gracilibus, longe petiolatis.

*Salix* foliis integerrimis glabris ovatis obtusis. *Linn. spec. plant.* pag. 1447. num. 17. & *flor. lapp.* pag. 288. num. 359. tab. 7. fig. 1. & 2. tum tab. 8. fig. 1. *Oeder. flor. dan. tab.* 212. *Jacquin. enum.* pag. 296. num. 94. *Gunner. flor. norv.* I. pag. 51. num. 110. *Gerard. gallopr.* pag. 528. num. 8. *Schrink. flor. bav.* I. pag. 235. num. 61. *Allion. flor. ped.* II. pag. 185. num. 1969.

*Salix* foliis rotundis integerrimis, subtus tomentosis, iulis gracilibus, longe petiolatis. *Haller. hist. II.* pag. 309. num. 1650.

*Salix* pumila folio rotundo. *Joh. Bauh. I. p. 2.* pag. 217.

Ad summarum latera rupium Taureri Malnizenfis. In alpibus Leontinis; Villacensibus; at nuspiam frequentior, quam in summitate Manharti, una cum *Primula longiflora*, *Phaca australi*, *Rhodiola rosea*, *Antherico serotino*, *Pœderota Bonarota*, *Hedysaro obscuro*, aliisque. Arbuscula humilis, super Salicibus herbaceæ, & retusæ; fortior tamen utraque crassitudine caulis; raro ad spithamæ altitudinem, sæpe nec ad dimidiam annuos attollens ramos; jam fere inde a radice (quæ lignea, perennis, brachiata, & repens est) ramosa, & quaquaversum diffusa; ramis annotinis nunquam non procumbentibus, imo & repentibus, demissisque novis radicularum fibris, iterum iterumque radicatis. Truncus ejusdem, veterumque ramorum, lignosus, duas tresque lineas crassus, latus, tenax, frangi fere nescius, in-

interne albus; cortice extus obductus ex ruso fusco, demum cinerascente, & ex vestigiis gemmarum, ramulorumque, superiorum annorum, copiose partim noduloso, partim & cicatrifato. Apices ramulorum veterum gemmas agunt foliosas easdem, iuliferasque simul; prodeuntibus scilicet quavis e gemma terminali ternis, quaternisque, aut & quinis foliis, unico duntaxat cum amento; in arbuscula mare, masculo; capsulifero in fœminea; utrisque numquam non stipitatis; ut enim suo numquam destituuntur folia petiolo; ita & suus semper amentis singulis longiusculus est pedunculus aphyllus. Pili per quam longi, tactui mollissimi, albido-incani, cinerascentesque, serici ad instar nitentes, & fere procumbentes, densissime primum insternunt tam paginam foliorum utramque, quam eorumdem petiolos, pedunculosque amentorum, & calycinas squamas; attamen leviter plane hærentes, deciduique denique; ut singulas arbusculæ totius partes has, calvas demum adultiore in ætate, glabrasque relinquant. Ex nigro tum rubent (virides in infantia) cum pedunculis petioli; at folia, quæ saturate supra virent nitoris expertia, subtus inter perelegans rubellarum & existantium venularum reticulum, halitu obducuntur albido; crassiuscula cæterum, & sicca, ac tantum non coriacea; figura primum orbicularis, tum ovata, denique oblongo-ovalis, ora marginis undiquaque integerrima, & fere deorsum inflexa. Amenta tam mascula, quam diversis in arbusculis fœminea, semper hac in specie admodum gracilia, cylindracea, respective pauciflora, pollicis longitudine, proprio non nihil breviora pedunculo. Squamis calycinis utroque in sexu obovatis, ac postquam densum, ut dictum est, exuvereum, nigro-rubentibus. Nectarium (corolla deficiente) oblongo-subovatum truncatum, sessile ad basin interiore staminum, aut germinis. Stamina mari bina, filamentis filiformibus, triplo calyce longioribus, albis, basi villosis. Antheris flavis. Germen, amentis fœmineis, subsessile, seu

U u 2

bre-

brevissime pedicellatum, inverse pyriforme, calyce tantillo altius, dense incano - villosum; stylus vix ullus; stigmata duo bifurca, nuda, rubra. Capsula nil a germine differens, tantillo tamen major, calyce duplo longior, inverse quidem pyriformis, obtusiuscula tamen, villis incanis dense obsita, calveſcens cum tempore, & fusca; unilocularis, bivalvis, valvulis revolutis. Semina exiguo pappo albo - sericeo, simplice, piloso, longo obducta.

## CCCLXI.

## OPHRYS MONOPHYLLOS. Tab. 13. fig. 2.

Ophrys bulbo rotundo, ſcapo nudo; folio ovato; nectarii labio integro.

Linn. *Spec. plant.* pag. 1342. num. 10.

Pseudoorchis monophyllos. Cluf. *hist.* pag. 269.

Epipactis folio unico amplexicauli, ſpica prolixa multiflora. Haller. *hist.* II. pag. 151. num. 1293. tab. 36.

Habitat in montanis palustribus sylvaticis Carniolæ, unde nuper recentes florentesque una cum terra stirpes aliquot illustrissimus Zoysius ad me misit. Planta perennis, unam, duasve ſpithamas alta, non tam Orchidearum, quam Alliacearum e numero Stirpium, radicis ratione; e bulbo oritur sphæroidico, utrinque tantisper depresso, ſolido, aquoſe virideſcente, glabro, nitente, thecis membranaceo - ſpathaceis, albidis, striatis, vaginantibus, & ſurfum imbricatis, involuto, quæ eidem oblongo-ovatam conciliant faciem, & quorum intimæ duæ, reliquis longiores, ſcapum ex bulbi apice proſilientem, vaginarum instar, undique amplexantur,

&

& superinduunt, foliumque radicale (eumdem scapum vaginans) scapo inferne appressum retinent. Abit farctus hic bulbus inferne, copiosas inter fibras filiformes & albidas, Alliorum quorumdam more, in oblique horizontalem teretemque radicem, cuius e genmis novus quotannis scapus a surgit, cui ad basin annotinus veteris scapi bulbus, suis pariter cinctus thecis emarcidis, (quos ut bulbus ipse videretur, in figura tolli feci) ut plurimum accubat. Scapus simplicissimus, ex tereti angulosus, viridis, nudus, sursum versus in longum plurimorum florum racemum abiens, folio basin versus unico (duo reapse semper sunt, altero illo minore, nunquam nisi apice duntaxat extra communem vaginam prospiciente) sub bulbo orto, & vaginante involutus. Est folium hoc ei *Ophiglossi vulgati* L. simillimum, ovato-lanceolatum, glabrum, subitus longitudinaliter carinatum, striis elevatis copiosis percursum. Flores hac in gente minimi, singuli ex bracteola viridi linear-lanceolata pedicellati, pedicello bracteam excidente. Germen inferum, viride, nudum, subtriquetro-obovatum. Calyx nullus. Corolla viridis, hexapetala. Petalo supremo ovato-acuminato, concavo; binis proximis arcuatim conniventibus, linear-lanceolatis; binis labium nectariferum stipantibus linear-acuminatis, deorsum incurvis; labio nectarifero reliquis longiore, linear-lanceolato, deorsum porrecto, integerrimo. Columnam staminum in sicca planta examinare non potuit Hallerius; neque alias ejusdem meminit; eam ergo adhibito inquisivi microscopio. Ex nectariferi basi labii, stylus super germine erigitur, petalo supremo duplo minimum humilior, crassiusculus, subtruncatus, viridis, nudus, foveolis binis transverse juxta se positis (an stigmatis aperturis?) hians, quas inter antice cuspidula brevis subulata normaliter erecta assurgit; postice contra stamina bina brevissima, styli margini postico insistunt, pariter transverse juxta se posita, antrorum antherifera, & in foveolas subin-

curva, & velut subnutantia; antheris ipsis nudis, flavis. Capitula triquetro - subovata, striata, subintorta, unilocularis, trivalvis; valvulis polyspermis. Seminibus minimis.

## CCCLXII.

## FUCUS ACINARIUS.

*Fucus caule radicato, ex tereti compresso, spinuloso, ramosissimo; foliis sessilibus linearis-lanceolatis integris; fructificationibus? globose-vesticulosis, inanibus, pedunculatis.*

*Fucus caule tereti ramoso, foliis linearibus integerrimis, fructificationibus globosis pedunculatis.* Linn. spec. plant. pag. 1628. num. 14. Allion. flor. ped. II. pag. 530. num. 2612. Gerard. gallopr. pag. 25. num. 4. Gmelin. fuc. pag. 99.

*Lenticula marina Serapionis, Uva marina quorumdam.* Lobel. obs. pag. 653.

*Acinaria Imperati.* Ginnani. posth. I. pag. 18. Ec. tab. 16. fig. 31. tab. 18. fig. 35. tum tab. 19. fig. 36. Donati. hist. adr. pag. 33. tab. 5. fig. 1.

In mari Adriatico ad Tergestum minime rarus, tum Flumine etiam. Caulis ex ruso magis magisque fuscescens, dum niger desiccatione fiat, quandoque plus quam bispithamalis; nisi fluctibus maris sua a matre avellatur, non certe vagus per maria errat; sed fixus, aliorumque de more Fucorum, tensili baseos corio, jam super quævis alia testacea, radicatus hæret; estque lentæ, & coriaceæ substantiæ; dimidia pennæ anserinæ crassitudine, ex tereti compressus, spinulis sive brevibus subulatisque denticulis coriaceis plerumque undique obsitus, & velut muricatus; ramosissimus;

ra-

ramis alternis, cauli simillimis, alias sat brevibus, elongatis magis alias, nunc laxius inter se ordinatis, alias conferte magis addensatis. Folia per caulem, ramosque sparsa, sessilia, interdum brevissime subpetiolata, linearilanceolata, integerrima, quandoque tamen laxe denticulata, caulis colore, substantiae coriaceæ, rachi longitudinali medium folium percurrente, utrinque parumper exstante, seu elevata; venis ramificationibusque lateribus præterea nullis; quorum loco, sparsa alterne videoas ex utraque ejusdem rachis parte tubercula interdum solitaria, secundum omnem foliorum longitudinem. An hæc ejusdem fructificationes? aut alterius flores sexus? Eminentia præter hæc foliorum tubercula, & aliis quoque caulis ramique, nunc copiosioribus, nunc paucioribus, plerumque pedunculatis, quandoque tamen & sessilibus, obsiti sunt vesiculis sphæricis rufo-fuscentibus, nudis, inanibus, undique sparsis. Pro fructificationibus has Linnæus, non Gmelinus, habet.

## CCCLXIII.

## FUCUS VESICULOSUS.

Fucus fronde repetito - dichotoma, marginibus integra; caule medium folium transcurrente; vesiculis terminalibus ovalibus farctis verrucosis.

Fucus fronde dichotoma integra; caule medium folium transcurrente; vesiculis verrucosis terminalibus. *Linn. spec. plant. pag. 1626. num. 2.* *Scopol. flor. carn. 2. p. 1. pag. 403. num. 1426.* *Gerard. gallopr. pag. 25. num. 1.* *Allion. flor. ped. II. pag. 328. num. 2604.* *Gunner. flor. norv. I. pag. 48. num. 101.* *Gorter. flor. belg. pag. 338. num. 939.*

Fu-

*Fucus fronde dichotoma integræ; caule folium percurrente; inferne nudo; vesiculis verrucosis terminalibus.* Linn. *spec. plant. pag. 1627. num.*

6. *Oeder. flor. dan. tab. 286.*

*Quercus marina prima.* Clus. *hist. pag. 20.* Item secunda *pag. 21.* Lobel. *obs. pag. 652.* Gmelin. *fuc. pag. 60.* Ginnan. *adr. I pag. 21. tab. 20.* *num. 39. forsan & num. 40.*

*Virsoides.* Donati. *hist. adr. pag. 31. tab. 4.*

Maxima in copia in mari Adriatico ad Tergestum, Flumen &c. supra saxa, conchilia, palos &c. sub aquis, ad littora, solitarius, & cespitosæ fasciculatus. Radicis loco, plano orbiculari coriaceo corporibus submarinis adnascitur frons foliaceo-coriacea lenta repetitas per dichotomias ramola; ramis dichotomiarum omnibus in eodem plano verticali existentibus; linearibus, planis, duas tresve lineas latis, per laterum margines integerimis, supra infraque saturate & obscure viridibus, per desiccationem nigris, semper lœvibus, & nisi desiccentur, nitentibus; extimis dichotomiarum lacinulis rotundatis, integris aut & emarginatis. Frondem, quanta est, omnem, ima a basi, per omnia dichotomiarum brachia, caulis, sive rachis verius, percurrit longitudinaliter media, coriaceo-cartilaginea, folio concolor, tereti-compressa, utrinque (supra & infra) tantisper elevata. Ejus altitudo, pro ætatis diversitate (perennis enim stirps est) ab uno duobusve pollicibus ad semialteram variat spithamam. Juvenes quamdiu sunt frondes, nec tuberculis, nec vesiculis conspicuntur obsitæ; adolevere contra postquam, cernas earum aliquas, meris longitudinaliter, ex utraque rachis parte, alternatim obsitas tuberculis hemisphærico-convexis, sessilibus, parvis, folio concoloribus, poro in apice introlabente umbilicatis, umbilico villulis exiguis albidis fasciculatim efflorescente; nullæ in his

ex-

extimarum lobos dichotomiarum terminant gelatinoso - pulposæ vesiculæ. Alias iterum, in quibus ultimi dichotomiarum lobi, ovali - oblonga sub apice intumescunt vesica, farcta interne pulpa gelatinosa; externe vero jam nuda & lævi, jam copiosis undique muricata tuberculis nodulosis; in his, per reliquum frondium folium tubercula villulis albidis efflorescentia, occurunt nulla. Nonnullas denique videoas frondes, reliquis & altiores, & ramosiores (certe & seniores) vesicis simul gelatinoso - pulposis, tuberculatisque sub extimorum loborum apice terminatas, & obsitas præterea per omnem foliorum longitudinem tuberculis umbilicato - villosis; hæ ut plurimum (utpote seniores, longioreque æstus maris quassatæ vi) caule, infimisque ejusdem dichotomiis sunt nudis, id est, non amplius corio foliaceo alatis, plerumque etiam longitudinaliter in spiram velut semi - intortæ; ob quam prosector rationem, minime novam me exinde facere debere, sub Fuci spiralis nomine, speciem, judicavi.

## CCCLXIV.

## RANUNCULUS COLUMNÆ.

Ranunculus foliis palmato - quinquepartitis; laciniis cuneiformibus, pinnatifido - trifidis, quinquefidiisve; caule terete, villoso, ramoso; pedunculis unifloris; radice asphodeli fibrosa.

Ranunculus alter saxatilis asphodeli radice. Column. ecphr. pag. 312.

fig. 313.

Ranunculus alpinus apii folio; flore albo magno. Ponted. compend. pag. 117. Seguier. veron. I. pag. 490. num. 11. tab. 12. fig. 2. 3.

Ranunculus Columnæ. *Allion. flor. ped. II.* pag. 50. num. 1453. tab. 67.  
fig. 3. 4.

Habitat in alpibus Carniolicis, ex quibus complures stirpes recentes, in flore, una cum terra, transmisit Illustrissimus de Zoys. Radicem Ranunculi istius, perinde ac Ranunculi alpestris L. copiosæ efficiunt fibræ subspithamales, filiformi-fusiformes, carnosæ, allæ, capillaceis, longisque, nec non ramulosis, obsitæ fibrillis, in unum omnes caput, ad telluris superficiem, nullo intercedente bulbo, sive tubere, collectæ, ea circiter, ut in Asphodelis asfolet, ratione; suntque perennes; caulem quotannis simplicem, ramosum, teretem, basin versus rubentem, cætera viridem, villisque albidis undique obsitum, a pollicibus tribus ad usque spithamam, & quod superat, assurgentem, efferentes. Folia radicalia complura; singula, qua in terram defossus est parte, caulem longiusculis stipularibus vaginis involventia; cæterum longiuscule petiolata; palmato - quinquepartita; laciniis oblongis, cuneiformibus, pinnatifido - trifidis, quinquefidisve; lacinulis lanceolatis, sive & ovato - acutis; supra saturate, pallidius inferne viridia, utrinque una cum petiolo tereti - canaliculato, villis albidis, demum cadivis, obsita. Folia caulina remote alterna, radicalibus cum proportione similia; inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus, summis tripartitis, laciniis lanceolatis, integris. Rami, sive pedunculi axillares, erecto - patentes, teretes, villosi, apice uniflori. Flores majusculi, inodori. Calyx pentaphyllus, patens, foliolis oblongo - ovatis, concavis, e virore sensim dorso dilute rubescientibus, per oras albentibus, dum undique exalbescant denique, & decidant. Corolla pentapetala; petalis calyce duplo majoribus, latioribusque, obovatis, integris, niveis, striatis, unguiculo exiguo insistentibus, cui superne ad petalorum basin foveola ne-

cta-

Carifera impressa, stipata squamula foliacea, pariter alba, obovata, plerumque emarginato-bifida. Stanina plurima, corollis duplo breviora; filamentis una cum antheris saturate flavis. Germina multa, ovata, extrorsum gibba, viridia, villis albis, demum cadivis, laxe obsita, receptaculo oblongo, filiformi undique insidentia; stylus respective longiusculus, extrorsum incurvus, sive uncinatus; stigmate simplice. Semina nil a germinibus diversa, nuda, stylo permanente uncinata.

---



## I N D E X

## PLANTARUM HIC DESCRIPTARUM.

## A.

	Pag.		Pag.
<i>Alchemilla alpina</i>	-	<i>Lichen glaucus</i>	-
<i>Alyssum alpestris</i>	-	— <i>hispidus</i>	-
<i>Anchusa italicica</i>	-	— <i>horizontalis</i>	-
<i>Arenaria villosa</i>	-	— <i>hyporum</i>	-
<i>Artemisia humilis</i>	-	— <i>islandicus</i>	-

## B.

<i>Brassica alpina</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
	-	— <i>299</i>	-

## C.

<i>Campanula pyramidalis</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
<i>Carduus helianoides</i>	-	— <i>308</i>	-
— <i>heterophyllus</i>	-	— <i>299</i>	-
<i>Carlina corymbosa</i>	-	— <i>227</i>	-

## E.

<i>Epimedium alpinum</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
	-	— <i>283</i>	-

## F.

<i>Ferula rabensis</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
<i>Fucus acinarius</i>	-	— <i>312</i>	-
— <i>vesiculosus</i>	-	— <i>342</i>	-

## G.

<i>Geranium palustre</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
<i>Gnaphalium Stachys</i>	-	— <i>329</i>	-

## H.

<i>Horminum pyrenaicum</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
	-	— <i>303</i>	-

## L.

<i>Lathyrus angulatus</i>	-	<i>L.</i>	Pag.
— <i>Aphaca</i>	-	— <i>289</i>	-
— <i>Nistolia</i>	-	— <i>325</i>	-
<i>Lichen æruginosus</i>	-	— <i>287</i>	-
— <i>agariciformis</i>	-	— <i>234</i>	-
— <i>ambiguus</i>	-	— <i>239</i>	-
— <i>aphthosus</i>	-	— <i>242</i>	-
— <i>botrytes</i>	-	— <i>266</i>	-
— <i>caninus</i>	-	— <i>237</i>	-
— <i>caperatus</i>	-	— <i>260</i>	-
— <i>ciliaris</i>	-	— <i>280</i>	-
— <i>croceus</i>	-	— <i>244</i>	-
— <i>dubius</i>	-	— <i>275</i>	-
	-	— <i>255</i>	-

*Lichen glaucus* —

— *hispidus* —

— *horizontalis* —

— *hyporum* —

— *islandicus* —

— *juniperinus* —

— *muscorum* —

— *nivalis* —

— *paschalis* —

— *perlatus* —

— *polydactylus* —

— *reflexus* —

— *rufescens* —

— *faccatus* —

— *saxatilis* —

— *scutatus* —

— *fylvaticus* —

— *tartareus* —

— *venosus* —

— *verrucosus* —

## O.

*Ophrys monophyllos* —

*Orobis luteus* —

## R.

*Ranunculus Columnæ* —

## S.

*Salix herbacea* —

— *reticulata* —

— *retusa* —

*Saxifraga Cotyledon* —

*Scorzonera angustifolia* —

## U.

*Uvularia amplexifolia* —

## V.

*Veronica fruticulosa* —

*Vicia oroboides* —

*Viola palustris* —

— *Zoysi* —

## V.

## V.

NICOLAI HOST

MED. DOCTORIS

## AMPHIBIOLOGICA.

Quidquid a nuperis pro vera & constanti Colubrorum nota specifica propositum est, & vel nunc etiam a recentioribus proponitur, plus confundere, quam erudire videtur. Scuta transversalia abdominis; paria Squamarum caudam subtus tegentium; Squamarum corporis & capitum figuram tum ordinem; Capitis figuram ac proportionem; atque alia, plerumque a speciminibus spiritu vini alteratis desumpta, specifica signa, ad inconstantes & spurias notas amandanda esse, concludet, qui vel unius tantum speciei ad minimum decem viva individua caute & attente examinaverit, summaque diligentia inter se comparaverit. Hinc ego ad Colubros, qui Austriaeque adjacentes regiones incolunt, describendos, & ad vi-

vum delineandos aggredior, spe fretus, me tali modo, quod sola descriptione nunquam in hac materia præstari potest, præstiturum, ut quilibet Colubri species, Austriæ incolas, facili negotio cognoscere, nec non noxias ab innoxiis distinguere discat. Pauca hæc præfari debui.

## I.

COLUBER AMMODYTES. Tab. 24. 25. *Linn. syst. nat. p. 376.*  
*num. 174. Amæn. acad. 1. pag. 506. num. 25.*

Ammodytes. *Aldrovand. serp. 169.*

Coluber Ammodytes habet caput planum, latum & ferme triangulare. In superiore capitinis parte apicem versus insidet verruca conica unam vel duas lineas longa. Narium foramina jacent ad basin processus hujus rostriformis. Oculorum flavescentium pupilla est perpendicularis & oblonga. Corpus, collum versus angustius & semiteres, desinit in caudam gracilescem. Caput inter oculos, nares & rostrum tegitur squamis perplurimis, minutissimis. Laminæ duæ majores, palpebrarum loco, tegunt oculos. Squamæ, truncum tegentes, & per series oblongas dispositæ, sunt ovatae atque linea longitudinali elevata per medium a basi ad apicem decurrente instructæ, exceptis duobus ordinibus utrique abdominis lateri proximis, quorum squamæ latiores sunt, & nulla eminentia notatae. Corpus est plerumque fusco-canescens, nigrisque punctis irroratum. Occiput in scœmina tantum macula circulari nigricante insignitum; maris vero caput duabus subarcuatis maculis in superiori parte, in utroque autem latere unica oblonga macula a basi per medium & inferiorem oculorum partem, quasi ad nares usque

usque ducta pingitur. Dorsum in utriusque sexus individuis notatur vitta longitudinali nigra, dentato-sinuata, a nucha ad caudæ apicem excurrente, maculis ad latera cuique sinui respondentibus nigris. Labiorum margines, gula, infima squamarum dorsi series, scuta abdominalia & caudalia, in fœminis saepe ex roseo, albo & nigro; in maribus plerumque ex albo & nigro variegantur. Cauda apicem versus rubello colore suffusa est. Lingua est filiformis, nigra, apice bifida, in plerisque in parte superiori longitudinaliter linea albida notata, in canali proprio retenta, pro lubitu exerenda & retrahenda. In utroque latere maxillæ superioris anteriora versus, intra eandem bursam membranaceam, semper muco lubricam, recondita sunt tela duo, dentibus simillima, non ultra tres lineas longa, recurva, tubulosa, vulneri infligendo atque in inflictum veneno infundendo dicata. Horum duo posteriora cum alveolo, cui infixæ sunt, tam debilibus ligamentis uniuntur, ut facillime evelli, excidereque queant. Anteriora duo contrario modo se habent. Maxilla superior armatur a viginti ad triginta, inferior a sexdecim ad viginti quatuor dentibus tenuibus, acutissimis, linea parisina vix longioribus, gulam versus inflexis.

Mas est capitis angustioris, corporis tenuioris, minus fuscescentis, quam fœmina. Cauda illius longior paulatim gracilescit, non autem repente, ut cauda fœminæ. Fœmina feri intuitus, tardioris incessus; mas non item.

Tanta est individuorum varietas, ut inter triginta viva specimina, quæ transacti anni æstate Flumine Viennam mihi transmissa fuerunt, nec duo invenire potuerim, quæ in plerisque notis inter se convenienter. Aliis vitta repanda maculis solitariis quadrangularibus, duabus vel pluribus alter-

ternatim sibi succedentibus, interrumpebatur; in aliis præter vittæ repandæ dentes ad utrumque dorsi latus solitarie sitos, nihil videre erat; aliquibus corpus cinereo colore ita tegebatur, ut macularum, dorsum & caput variegantium, vix momentum appareret; aliis color corporis nigricans, macularum vero ater; colore roseo, albo, nigro, cœrulecente gula, scuta abdominalia in diversis diverse variegabantur; alia erant unum, plura unum semis, pauca duos pedes longa; sic quoque pro varietate longitudinis varius erat scutorum abdominis & caudæ numerus. Plura discrimina hic referre, & difficile est, & propositi ratio non postulat.

Habitat Ammodytes frequens in montibus Japidiæ, in rupestribus circa Flumen, frequentissimus vero in quodam montium tractu, Fluminen-sibus Bergudi dicto, & vix per horam Flumine diffuso. Sub initium primi veris, humorum circulatione caloris redeuntis vi aucta, e mortali quasi somno, quo in rupium saxorumque cavis sopitus hybernabat, semiexcitatus, loca meridiei obversa oriente sole petit, ea non prius quam post occasum derelicturus; hocque per plures dies, de nulla alia re quam de reliquo languore & sopore expellendo sollicitus, repetit, donec per solis calorem veneris pruritus vitæque vires in integrum excitatae fuerint. Tunc duplici quasi vita donatus, cæteroquin tardi incessus, nunc celerrime festinat ad locum, in quem ejusdem speciei serpentes, in tota vicinia habitantes, conveniunt. Hic omnes simul complexu mutuo, funis ad instar, ita se convolvunt, ut intuentis oculis unicum corpus polycephalum formare videantur; atque sic convoluti coëunt, absolvuntque ad speciem propagandam necessarium opus; quo peracto, derelinquunt communem nuptiarum locum; & unusquisque vitæ conservandæ intentus, quem sibi natura assignavit, querit cibum. Prædatur murem sylvaticum, aves passeres, aliquando & lacertas.

Mo-

Motacillam Lusciniam, tum Ficedulam allicit celerrimo linguæ motu. Scan-dit arbores fruticesque, in quibus aviculæ nidificant, ut possit earum devo-rare pullos. Secus aquas, ad arborum radices, in pratis sepibusque, in spiram convolutus insidiatur animalibus, & in transeuntia irruptione facta in-filit, captaque etiamsi se multo crassiora devorat. Prædæ partem, quam ore prehensam tenet, mollit, conquassat; dein fit brevissimus, crassissimus, semetipsum multifariam contorquet, ut, quod deglutire vult, distento cor-pore facilis in ventrem propellatur. Vere & æstate exuit senectam. Uren-te syrio de die in antris latitat, vespere & de nocte vagatur. Initio autu-ni, diminuto per ingruens frigus circulationis motu, sopore hinc revertente, se recipit in faxorum cavernas, ex iis non priusquam anni sequentis verno-tempore redditurus.

Præda fit, de nocte vagans, variarum strigum, de die vero falco-num. Exeditur, atque exulceratur anus ejus ab acaro, lateribus sublo-batis, pedibus quatuor posticis longissimis, femoribus capiteque ferrugineis, Acaro syroni valde simili, abdominis apice aseto dissimili. Cum inter ea, quæ possidebam specimina, plura languerent, & tandem post aliquot dies atrophia consumta perirent, ut quid languoris mortalitatisque hujus causa esset, detegerem, inter cætera & anum examinavi, atque, quod nunquam credidisse, inveni totum ani orificio exefum, sanie madidum, & partem intestini recti animalculis supra descriptis, tam minutis refertum, ut, quod milii granum vix superans, acus apice apprehensi, atque oculis armatis ex-a-minavi volumen, triginta talibus acaris constasset. Necatur Acarus hic spiritu vini aqua diluto. Hæc observasse juvabit iis, qui per totum annum viperas conservare debent, Pharmacopolis.

Y y

De

De Morsu serpentis hujus locuturus, nihil de subtiliori dentium fabrica, nihil de secrezione & excretione, nihil de qualitate & natura veneni referam, ita enim subtilia hæc sunt, ut mentis & sensuum meorum aciem superent. Verum ea, quæ vulnus concomitari solent, & quæ ipse met vidi, symptomata, tum quæ a Liburnis medicinæ minime gnaris, in usum vocari solent, remedia breviter percurram.

Ab Ammodyte percussi, vel intuitu animalis ferientis, vel sibilo morsum concomitante, ita obstupescunt, ut per aliquod tempus fere non sentiant; pars vulnerata dolore & ardore ingenti affligitur, inflammatur, inflammata in tumorem excrecit, livet, postremo nigricat; superveniunt animi deliquia, convulsiones, vomitus, tormina, febris biliosa, putrida, mors rarissima. Hæc atque alia, quæ vulneratos opprimere solent mala, non tantum a veneni qualitate & quantitate, sed etiam a natura & prædispositione demorsi dependent.

Ruricolæ ligant inter cor & vulnus partem demorsam, deinde acu, vel, si acus ad manus non sit, Rhamni Paliuri aut Rubi fruticosi spinis, scarificant, ut sanguine effluente venenum eluatur; scarificatam allio fricant, postea fomentis ex vino, ruta, rosmarino, paratis sovent. Omnibus his debito modo & tempore in corpore bonis humoribus turgido, nec ad aliud morbum prædisposito, adhibitis, franguntur veneni vires, pars tumida detumescit, dolores minuuntur, color in melius mutatur, ægroque nihil præter appetitum dejectum, fractus vires, colorem pallidum, aliaque levia solis naturæ viribus expellenda incommoda, supermanent. Ast si corpus valde irritabile pessimis humoribus scateat, pessime prædispositum sit, supra recentita remedia nil juvant, æger in summum omnium facultatum languorem

pro-

prolabitur, tumor crescit, color in deterius mutatur, circa tumorem vesiculæ ambustis similes emergunt, omnia in pejus ruunt. In hoc tristi rerum statu rus delectant, petunt civitatem a medico opem exploraturi. Quid tali in casu faciant medici, silentio prætereundum censeo; quisque enim diversa utitur methodo, prout diversa est secta, cuius se membrum profitetur. Non deficiunt & contra morsum specifica, atque a morsu præservantia corpora Liburnis. Conservant eorum paucissimi, sub nomine Gratiæ sancti Pauli, lapidem, qui alias non est, quam Cos Lapis cotarius Werner, ei viperarum vulneribus tantas credentes inesse vires, ut, si lapis hic in lacte ferventi saepius calefactus, præmissa ligatura, vulneri saepius applicetur, nulla tristia superveniant symptomata, & ea, quæ præsentia sunt, spe citius evanescant. Alii possident alium superiorum adhuc virium lapidem, dicuntque, eum penes se portantes viperas calcare, & quin mordeantur, manibus contrectare posse. Est lapis hic stalactites sinter calcareum Wern., qui internam specus cujusdam in Dalmatiæ insula Auxerio, Ossero italis, non procul a civitate ejusdem nominis sitæ superficiem obducit.

Paucos ante annos adscribant adhuc remediis ex Ammodytis carnis præparatis eximias virtutes Liburni; credebant ea tantam possidere virtutem humorum acritates, aut quamcunque aliam pravam diathesim emendandi, viscerum obstructiones referandi, debile corpus roborandi, ut ea in arthritide, tabe aliquaque internis & externis cutis superficiem defœdantibus morbis, non suadente medico, ipsimet vel levissimæ fortis homines, a Pharmacopolis expetierint. Nunc vero temporis propria aliorumque experientia contraria edociti, vino, in quo Ammodytes suffocatus periit, juri reliquisque ex ejus carnis præparatis pharmacis, nullam aliam, præter

emungendæ crumenæ vim medicam inesse asseverant, etiam si sublimia sint encomia, quibus eorum virtutes a medicis aliquibus extolluntur.

*Tab. 24.* sicut Ammoditem fœminam.

*Tab. 25. fig. a.* marem; *b.* caput ore aperto, ut dentes appareant; *c.* telum ad microscopium auctum cum seta barbae Felis cati ab apice ad basin per cavum tubi ducta.

## II.

COLUBER AESCULAPII. *Tab. 26. 27.*

*Anguis æsculapii.* *Aldrovand. serp. 271.* *Seb. mus. 2. tab. 54. fig. 2.*

Quod Antiqui hunc & non alium Aesculapio Deo consecratum adoraverint serpentem, docent ab iis nobis relictæ figuræ atque historiæ. Noster Aesculapii coluber habet caput oblongum, planum, squamis grandioribus & polymorphis tectum. Nares sitæ sunt versus apicem in utroque capitis latere. Oculorum pupilla teres atque ampliata est. Truncum vestiunt plures squamarum a se mutuo, distento corpore, sedentium ordines. Corpus est ex nigro cærulescens, vel ex viridi flavum. Lingua est nigra, apice bifida. Dentes in maxilla inferiore & superiore, tum externa tum interna, subtilissimi, linea parisina parum longiores, ferræ dentium ad instar digesti & gulam versus inclinati. Fœmina est capitis latioris, corporis crassioris quam mas.

Si

Si plutiūm serpentis hujus individuorum magnitudinem, crassitatem, squamarum & figuram, colorem corporis, aliaque non levis momenti accidentia attento animo consideremus, animadvertemus inter ea varietatum numerum majorem dari, quam inter Ammodytis individuos. Aliorum caput est oblongum, aliorum ovatum, lateribus basim versus valde dilatatum, in his & illis squamis a septem ad duodecim diversæ formæ & magnitudinis tectum; corpus aliis est ex viridi flavum, & versus dorsum nigricans, aliquibus ex nigro cærulescens; squamis corporis alii habent ovatas acutas, aliqui rhomboideas obtusas, carinatas vel levées; dantur flavescentis varietatis specimina, quorum squamæ in multis trunci regionibus sunt vel uno vel duobus marginibus albis notatae; aliorum abdominis superficies est hinc inde, ut caudæ, paribus squamarum tecta; flavescentium gulae, abdominis & caudæ squamæ sunt colore pallide flavo pictæ, nigricantibus autem, albo, cæruleo, livido, nigro, rubro diverse in diversis variegatae; alia sunt duos, diversa tres, paucissima sex pedes longa; variorum crassities unum pollicem æquat, paucorum vero superat. Invenitur copiosissime terpens hic in Liburniæ, & Dalmatiæ montibus atque pratis, per moschi odorem, quem redolet, se ab omnibus aliis serpentibus optime distinguens.

Quidquid de Ammodyte loquens, de deglutitionis modo, de copula, deque eis, quæ antecedunt, concomitantur & sequuntur copulam, dixi, de hac quoque Colubri specie intelligendum esse volo. Integros terræ tractus brevi tempore agilissimus hic serpens percurrit; spirali motu scandit arbores, petit aquas, ut possit invenire id, quod ad conservationem sui congruum esse credit. Capit ranas, aves, lacertas, & non spernit pisces. Ut ciborum, quibus vescitur, appareat varietas, sequens adducere volui exemplum. Cum anno 1739 mense Junio rariorum stirpium causa montes ad

litus maris Adriatici sitos perlustrarem, inveni Colubri hujus individuum, atrum, sex pedes longum, duos pollices crassum, ad radicem Pistaciæ Terebinthi Lusciniæ per vicinos frutices saltitanti insidias tendentem, atque cœpi. Post breve captitatis tempus vomere incepit iratum animal, vomituque quinque motacillæ pullos, post pullos sanguinem, & cum sanguine ejecit animam. Exenteravi cadaver, atque in exenterato inveni adhuc unum Mugilem Cephalum, & Lacertam vulgarem.

Inter quindecim, quæ hoc anno Flumine acquisivi viva exemplaria, unica fœmina quinque deposita ova, quorum unumquodque erat cylindricum, utraque extremitate rotundatum, candidum. Ovi involucrum constabat tunicis quinque arcte inter se per telam celluloflam unitis; cavitas repleta erat materie linctiformi, gravi odore nares afficiente, in hoc liquamine natabat corpus rubrum filiforme duas lineas longum.

Certe innoxium est hoc, telis destitutum animal. Si, quod raro fit, irritatum manibus contrectantis morsum imprimit, nulla alia, quam pauci sanguinis fluxus, emanat inde sequela.


Incolæ firmiter credunt, a Colubro Aesculapii Ammodytem vorari, quod credere, nec ego dubito, quia iis in locis, quæ ab illo incoluntur, Ammodytes rarissime invenitur. Narrant eorum aliqui, ei ut constrictori, homines adoriendi, & circum pedes eorum sese volvendi, inesse naturam; at hoc nec unico exemplo probatum fuisse novi, etiamsi per novemdecim annorum spatium in Liburnia vitam duxisset.

*Tab. 26. fig. a.* repræsentat fœminam oculis pallide cæruleis, ut omnium oculi fiunt aliquod tempus, antequam senectam exuunt. *Fig. b.* ovum ab eadem fœmina depositum.

*Tab. 27. fig. a.* marem flavescentem, & *b.* frustum nigro-cærulescens, cuius corpus est maculis albis hi inde pictum, & ore hiante, ut in maxilla superiore appareant duo dentium ordines in utroque ejusdem latere siti.

## CONTENTA IN HOC VOLUMINE.

I. De Metallis e Terris obtinendis . . . . .	3
II. De Principio inflammabili . . . . .	37
III. Observationes botanicæ . . . . .	93
IV. Plantæ rariores Carinthiacæ. . . . .	227
V. Amphibiologica. . . . .	349







219 (1)

F. 2.




Fig. 2.

220 (3)









T. 4.





T. 5.



*Leucopogon parviflorus*



T. 6.




Wisteria sinensis 206.

Melilotus officinalis 206



T.7



L. Agariciformis 324



*Lichen* *luteo-purpureus*

F. 8



F. 1.

F. 2.



*Lichen* *luteo-purpureus*



F. 9.



F. 2.




F. 1.





T. 10.




*Lichen foliatum* 270



*T. 11.*



*F. 1.*



*F. 3.*



*F. 2.*

*Lilium candidum BIEB.*



*Lichen neofinetus* 221

T. 12.



F. 1.



F. 2.

*Lichen cylindrinus* 222



T. 13.



Lobelia 349


G. 349



T. 22.



T. 1.




T. 2.

- 22 -



T. 15.



Lichen rufescens 263



T.16.



Lichen lichenatae 265



T.17.




Lecidea sp. Pl. 266




Lichen *Stictaria* 167


T.18.



T.1.



b.




T.2.

Lichen *Stictaria* 167



Lichen No. 270



F. L.



T.L.



F. L.

Lichen No. 276



Lichen vulgaris 289

G. 20.



Lichen vulgaris 289



224 (15)

F. 21.



F. 1.



F. 2.

Digitized by Google





*C. M. Bailey*

F. 22

Berg. 1400 ft.






*Indigofera pseudotinctoria*




T. 24.



Colubroidea 1850



T. 25.



*Coluber acutus* Gmelin 300




T. 26



Cobra amethystinae 206



T27



Ottoni desmarestii 256













